

1650 : SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL :
CHRISTO ET ECCLESIAE

DE
SOCIETATIS A PYTHAGORA IN URBE CROTONIATARUM CONDITAE SCOPO POLITICO
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

AUGUSTUS BERNHARDUS KRISCHE,

GOTTINGENSIS.

Χρόνῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται.

Commentatio De Sententia Amplissimi Philosophorum Ordinis Gottingensis D. IV. Jun. MDCCCXXX Praemio Regio Ornata.

GOTTINGAE,
TYPIS DIETERICHIANIS.
MDCCCXXXI.

AMPLISSIMI ORDINIS JUDICIUM.

Commentatio non tantum eruditionis copia eminet, sed etiam speciminibus ingenii in dijudicandis iis, quae ad societatem Pythagoricam ejusque constitutionem pertinent, et in fide historica narrationum de hac societate rite aestimanda. Sed ex diligentia, qua auctor quaestionem propositam tractavit, orta est nimia prolixitas. Multa allata sunt e doctrina Pythagoreorum de numeris et de partibus mundi, quae disquisitioni de scopo societatis eorum nullam affundunt lucem. Haec tamen ab iis, quae in disquisitione necessaria et utilia sunt, facile separari possunt, ut commentatio nihil aliud contineat, quam quod quaestioni propositae convenit.

VIRIS CLARISSIMIS

CHR. GUIL. MITSCHERLICHIO

LUDOL. DISSENIO

CAR. ODOFR. MUELLERO

CAR. FRID. HOECKIO

PRAECEPTORIBUS SUIS DILECTISSIMIS

AUCTOR.

Quum vidissem, Amplissimum Philosophorum Ordinem dari sibi jussisse

> "*Historiam societatis a Pythagora in urbe Crotoniatarum conditae, ita tamen ex scriptoribus fide dignis illustratam, ut pateret, quis fuerit scopus hujus societatis, an mere moralis ad culturam animi, an politicus ad conservationem et amplificationem potestatis optimatium in civitatibus graecis spectans:*"

ita tenuit rapuitque animum quaestionis praestantia, ut, si quid pro virium tenuitate efficere possem, periculum faciendi occasionem putarem exoptatissimam. Etsi quidem saepius mecum reputabam, nullam sane inveniri totius antiquitatis partem, quae tantis tamque innumerabilibus esset obstructa difficultatibus, eamque esse in ipsa historia tum Pythagorae ejusque disciplinae, tum quibus effectus suorum studiorum approbavit civitatum Italicarum, obscuritatem, ut et doctissimi, quis fuerit scopus sodalitii Pythagorici, unquam explicari posse omnino negaverint: tamen nec defeci, neque quod aut verum esset, aut ad id quam proxime accederet, assequi me posse diffisus sum. Quod ex proposita quaestione cumprimis postulatur, ut e fide dignis scriptoribus societatis historia illustretur, in hoc omne studium operamque ita ponendum duxi, ut quae de rerum Pythagoricarum scriptoribus eorumque fide et auctoritate rite aestimanda jam a Meinersio institutae erant disquisitiones, identidem repeterem. Nam si qua veterum philosophorum historia mendaciis ornata dicam an onerata, certe Pythagorae est, quam qui recentiore praesertim aetate spissis libris conscripserunt Samii vitam, tam nova forma induerunt, ut genuinus color prorsus abstersus sit. Nihil nec a Pythagora, nec a societatis alumnis literis traditum, et quidquid illis tribuitur, sup-

positum est. Scripta enim Pythagorica ignorant Aristoteles ejusque auditores, et quae contra afferuntur testimonia, ejusmodi sunt, ut non solum locupletioribus infringantur auctoribus, sed et ipsa societatis literis omnia et placita et praecepta custodiendi studium prorsus aspernantis, ratione et conditione diluantur [1]). Philolaum Thebanum constat (Diog. Laërt. VIII, 15. cf. §. 85. Jambl. V. P. §. 199. ed. Kiessl.) primum singulari libro exposuisse dogmata Pythagorica; et ab eo inde tempore incepit praestantissimorum virorum ordo praecipuo studio et amore tam philosophiam quam sodalitii instituta enucleare atque consignare; donec remotiore aetate extiterunt negligentiores scriptores, qui quae prioribus saeculis aut exculta, aut immutata, aut turpissime ficta erant, nullo instituto examine in Pythagoram transtulerunt. Sed proh dolor! omnia illa scripta iniqua abstulit fortuna; quorum vel memoriam simul abstulisset, nisi fragmentorum copiam dispari quidem consilio et eventu in unum collectam Diogenis inprimis, Porphyrii, Jamblichi et Stobaei compilationes posteritati mandassent [2]). Diogenem quod attinet, quamquam diligentiae et assiduitatis in congerendis narrationibus laude nemo eum unquam fraudavit, negligentiam tamen ejus et socordiam in seligendis ne dicam examinandis melioris notae auctoribus, si in ullis vitarum descriptionibus, in octavo potissimum libro, qui historiam Italicae sectae complectitur, reprehendendam censemus; inde non est, quod mireris, eum si cum aliis comparaveris, tam parum nobis ad investigationem attulisse adjumenti. Majore loco habendus est Porphyrius; cujus de vita Pythagorae opusculum — mancum id quidem atque muti-

1) Diu sed frustra me exercuit illa de scriptis, quae vulgo Pythagorica feruntur, quaestio summo olim, ut constat, digladiandi ardore agitata, quam, nisi disquisitionis ratio me coëgisset, libentius intactam reliquissem. Etenim in iis, quae in aprico sunt, haud verendum, ne recti rerum Pythagoricarum aestimatores unquam in contrariam se abripi patiantur sententiam. Quapropter non satis mirari possum Wyttenbachium ex Heracliti dicto (ap. Diog. L. VIII, 6.) Laërtii manifesto errore false explanato, item ex Jonis Chii mentione (ibid. §. 8.) colligentem, fuisse haud pauca Pythagorae scripta; in Bibl. Crit. T. II. ps. 8. pag. 116. not. h. Cf. Schleiermach. de Heraclito in Wolf. et Buttm. Mus. T. I. p. 343. De iis, quae Orpheo supposuisse Pythagoram narrat Jon, dixi infra. Ceterum multa huc spectantia congessit Fabricius in Bibl. Gr. T. I. p. 782 ed. Harl.

2) Anonymi apud Photium (Cod. 259.) libellum de vita Pythagorae, cui nihil Pythagorici inest, memoratu omnino indignum puto.

talum; sed quod deest facile ex Jamblicho potest suppleri — quamvis minus et dispositione et scribendi sese commendet ratione, multum tamen ceteris suae aetatis praestat eo, quod compilator veterum, quos secutus est, narrata non putidis et superstitiosis doctrinae Platonicae commentis refersit, sed incorrupta retulit, et quod maximum, quod auctorum nomina fide dignissimorum plurimis locis adscripta conservavit. Verum enim vero graviter dolendum, Porphyrium, id quod ex Jamblicho licet videre, in excerpendis libris adeo in unum coarctasse et compressisse scriptorum verba, ut saepius quid hi tradiderint, merito ambigi possit. Malcho dissimilis admodum erat ejus discipulus Jamblichus. Ex quatuor libris, quos de schola Pythagorica conscripsit, adhuc servatis, primus tantum, in quo quae de Pythagorae vita et Pythagoricorum vivendi genere prodita erant, rudis indigestaeque molis instar miscuit, examini subjiciendus est. Quod in Porphyrio laudandum, id in Jamblicho adeo reprehendendum est magis, quod magistri exemplum ad imitandum sibi proposuisse videtur. Sed quemadmodum sinceras Pythagorae de numeris rationes mystico Platonicorum ingenio perplacitas jam teterrimum in modum adulterabant, sic eandem licentiam philosophi vitam suis exornandi fabulis et depravandi sibimetipsis permissam volebant. Jamblichus, dico, compilavit studiose et ad taedium usque auctores, verum non desiit, ubi latissime poterat exsultare oratio, suis aliena deturpare, cujus haud scio an insignius expressum reperias exemplum, quam in Pythagorae ex Dicaearcho desumtis orationibus et in fabulis de Abaride. Quod quidem facilius esset ferendum, nisi excerptas e diversissimis scriptoribus partes incondite et suppresso fere semper nomine constipasset, quarum sine accuratissima dispositione, distributione et dijudicatione vera rerum Pythagoricarum cognitio nulla est. Meinersio haud dubie laudi dandum, quod primus hanc lubricam viam cum successu ingressus est [1]). Quamquam vir doctissimus, qua erat inconstantia, terminis disquisitionum recte definitis, quaedam minoris momenti perperam constituit, graviora tamen fragmenta eorumque auctores ingeniose eruit. Minus caute et circumspecte ponderavit historicam scriptorum fidem, condemnat saepius eos, si quid tradiderunt, quod ipse non probat, levibus ratiunculis repudiat auctoritatem ob errores, qui videantur

---

1) In libro *Geschichte der Wissenschaften*, T. I. p. 273—88.

tantum nobis errores [1]). Supervacaneum puto, quae sequenda duxi gravissima fragmenta, addito auctorum nomine singulatim hic in medium producere; hanc enim ubique fere inivi inquirendi rationem, ut eum locum, in quo narrationis auctor diserte laudatur, tanquam principem ceteris praeponerem. At in tanta scriptorum multitudine dissimilium inter se et ingenio et scribendi arte, quosnam omnino fide dignos habendos censuimus? Ut rem uberius tractatam in ipsa commentatione uno in conspectu ponamus, haec accipe: Post Philolaum, cujus de aetate ac doctrina disserendum est suo loco, primum obtinent locum Aristoteles ejusque discipuli Aristoxenus Musicus et Dicaearchus Messenius, multo inferiorem Heraclides Ponticus; melioribus subjungas Alexandrum Polyhist. et Apollonium. Quae recentioris aetatis scriptores de Pythagora Pythagoricisque sub Stagiritae nomine memoriae tradiderunt, perpauca ea quidem, sed elegantissima, depromta mihi videntur e celeberrimo de Pythagoreis opere, cujus de indice mirum quantum inter se dissident veteres. Theon Smyrn. laudat Aristotelem ἐν τῷ Πυθαγορικῷ (Mathemat. p. 30. Bull.), Alexander provocat ad secundum librum περὶ τῆς Πυθαγορικῶν δόξης (in Arist. Met. I, 7.), Diogenes Laërt. refert in librorum Aristotelicorum numerum περὶ τῶν Πυθαγορείων ά (V, 25., quocum consentit Anonymus ap. Menag. ad Diog. L. s. f. libr.), Jamblichus excitat scripta περὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας (V. P. §. 31.), Stobaeus excerpit e primo περὶ τῆς Πυθαγόρου φιλοσοφίας (Ecl. Phys. I. p. 380. Heer.), Simplicius denique memorat συναγωγὴν τῶν Πυθαγορείων ἀρεσκόντων (al. συλλογὴν τῶν τοῖς Πυθαγορείοις ἀρεσκόντων) in Ar. de Coelo II. p. 94. A. 31. cf. Brandis. in Mus. Rhen. 1828. p. 240. not. 116. Cave ne hos diversos indices diversa fuisse opera eredas; notes potius negligentiam partim, qua unum opus diversis titulis pro suo quisque arbitrio insignivit, ut Stobaeus — nam ipsius Pythagorae doctrinam parum compertam habebat Stagirita [2]) — partim respicias varios librorum Aristotelicorum catalogos, quibus componendis cum Ptolemaeorum aetate non-

---

1) Multa contra Meinersium bene observavit Wyttenbachius in Bibl. Cr. T. II. ps. 8. pag. 109 seqq.

2) Eandem ob causam improbanda est altera lectio apud Simplicium *Πυθαγόρᾳ ἀρεσκόντων*. Aristotelem vero vulgarem loquendi usum secutum esse, pernego

nulli, tum Andronicus Rhodius et Adrastus operam navarunt; illos fortasse secutus est Diogenes, horum alterum Simplicius. Similia exempla vide apud Brandis. de perd. Arist. libr. p. 7. et in Mus. Rhen. 1827. p. 261. Insignis extat fragmentorum copia ex Aristoxeni delibata duobus magnis operibus περὶ βίων ἀνδρῶν et τὰ Πυθαγορικὰ ἀποφθέγματα vel ἀπόφασεις inscriptis, in quibus Pythagorae et insequentium Pythagoreorum historiam illustravit (Diog. Laërt. I, 118. VIII, 79. Gellius N. A. IV, 9, 4. Athen. XII. p. 545. A. de Apoph. vid. infra). Quae in illo viro laudatur summa veterum literarum cognitio et diligentia (Cicero Tusc. Q. I, 18. Gellius l. l. Hieronym. Praef. de Script. Eccl.), eandem, si perpaucos excipiamus locos, in quibus cum genuina Samii doctrina posteriorem et cultiorem commutasse videtur, ubique expressam reperiemus; acerbius igitur latum est Lobeckii judicium, cui pleraque a Peripatetico relata commenticia sunt (in Aglaoph. T. I. p. 619. c.) [1]). Idem dicendum est de Dicaearcho, Aristoxeni aequali et condiscipulo (Porphyr. §. 56. cf. Cic. l. l. ad Attic. II, 2. et saepius); quae de Pythagorae adventu in Italiam ejusque morte et metempsychosi ex illo traduntur, libri περὶ βίων (Diog. Laërt. III, 4.) partes fuisse equidem non dubito contendere. Multo alium se praestitit in historia Pythagoreorum (Diog. L. V, 88.) Heraclides Ponticus, homo, ut rectissime judicat Lobeckius (ibid. p. 328.), et ad mentiendum paratissimus et in odorandis aliorum fraudibus hebetissimus (cf. Timaeum ap. Diog. L. VIII, 72. ibiq. Menag.), cui, si quid solus affirmat, raro fidem esse tribuendam censuimus. Alexandri Successiones (Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων) secutus est Diogenes in exponenda Pythagorae doctrina, quae quidem doctrina e Pythagoricis incertae sed haud antiquissimae aetatis hausta commentariis licet hic illic jam immutata sit, in multis tamen locis in suspicionem haud vocanda est. De Apollonii fide in diversissimas abierunt sententias viri doctissimi, quum diu eos agitaverit quaestio, quanti duo illa memorabilia fragmenta ap. Jambl., ex quibus solis illa ponderari potest, aestimanda sint. Ac primum quidem considerantibus nobis, quo exornaverit Apollonius ingenio fanatico Samii praesertim itinera, certissimum est, illum Tyanensem esse, cujus de vita Pythagorae librum laudat Suidas s. v. Ἀπ. cf. Porphyr. §. 2.

---

1) Aristoxeni fragmenta collegit Mahnius in Diatribe de Aristoxeno, Amstelod. 1793, multa tamen ex Jamblicho, aliis, addi possunt.

Nam rationes a Wyttenbachio contra allatae parum idoneae sunt, in Bibl. Cr. T. II. ps. 8. p. 120. Quanta igitur cautio in secernendis Tyanei fabulis adhibenda sit, non difficile est intellectu. Sed aliter sentiendum de altero fragmento, in quo ultima Pythagoricorum fata ex *publicis Crotoniatarum actis* (cf. §. 262.) diligentissime persequitur. Quamquam et hic nonnulla recentiorum scriptorum commenta manifesto immiscuit, quae separanda nobis sunt antea et ejicienda, cetera tamen ita comparata sunt, ut auri pretio sint habenda.

Haec sunt, quae praemonenda duxi; quare nihil aliud restat, quam ut Virorum Doctorum mihi expetam judicium. Non quidem sum nescius, mancam admodum esse atque imperfectam hanc meam scriptionem, sed in re difficillima, quae ut rite expediatur, acerrimum studium in veterum tantum monumentis perscrutandis examinandisque postulat, multum juvenili aetati condonatum iri, spero et confido.

I.

Sodalitii Pythagorici historiam conscribere nobis aggressuris, primum in Pythagorae vitam inquirendi necessitas injuncta est. Nam quicunque summis tantum, quod dicitur, digitis attigerit res Pythagoricas, facile largitur, nisi accurata cognitione eorum, quae vel prospera vel adversa philosopho evenerint, habita, nihil quod occultius inhaereat historiae, penitus assequi licere. Sed quum quaestio haec de vita Pythagorae difficillima multos viros doctrina et eruditione praestantes jam exagitaverit, nostram disquisitionem ita dirigamus, ut omissis minoris momenti rebus, quae nostro consilio accommodatissima sunt, paulo curiosius investigemus.

Primum quaerendum est, quo tempore lucem adspexerit Pythagoras? Multum ac diu hoc pro certo definire studuerunt viri doctissimi, sed quod saepius in historia Pythagorae conquerendum, illos minutissimis rebus tanquam solido fundamento insistentes aut, ex quo fonte fluxerint narrata, haud examinantes, disquisitiones ingressos esse, idem etiam in his chronologicis rationibus deplorandum est. Statuerunt plurimi, quod omnino statui nequit [1]). Confiteor equi-

1) Primus, qui intento studio indagavit temporum rationes, fuit Dodwellus in Diss. III. de vett. Gr. et Rom. Cycl. p. 137—148. Totus ejus calculus pessimis testimoniis de pervulgata Pythagorae captivitate Babylonia ejusque per Gillonem Crotoniatarum principem redemptione (ap. Apulej. Flor. p. 129. ed. Bip. Apollon. ap. Jamblich. §. 19.) nec non Hermippi (ap. Diog. L. VIII, 40.) commento nititur, quibus inductus ad Ol. LII, 3. philosophi nativitatem reducit. cf. p. 138. Subsecutus est Bentlejus (Diss. de Phalar. Ep. p. 23. Lenn.), qui evidentissime commonstravit Dodwelli levissimas rationes; docuit absurdam et semet destruentem narrationem de capto et redempto Pythagora. Exhibita tabula, qua diversissimae scriptorum sententiae descriptae sunt, annum natalem ad Ol. XLIII, 4. apposuit, innixus Eratosthene

dem nullum certum momentum, ex quo tempus natale constitui possit, odorandum esse. Destituti sumus in hoc loco Apollodori clarissimi chronologia, qui alias accuratissime philosophorum aetates rimatus est. Idcirco ex aliis indiciis certe id, quod veri simillimum, erui necesse est.

---

et Phavorino apud Diog. L. VIII, 47. qui Pythagoram quendam cum viris in certamen descendisse eosque omnes vicisse (Ol. XLVIII, 1.) referunt. Bentleji, summo acumine viri, computatio, quamquam in primis statim initiis corruit, optimis tamen sine ulla dubitatione adnumeranda est, ad quam postea saepius nobis provocandum erit. Adversarii calculo commotus rursus prodiit Dodwellus in Exerc. II. de Pythag. p. 92 seqq. (Lond. 1704.), immutavit quidem hic illic rationes quasdam infirmissimas, perstitit tamen in universum in definita Ol. LII. ¼. Graviter reprehendit Bentlejum, Pythagoram illum pugilem cum philosopho eundem esse, dicentem; nec immerito. Nullo enim modo demonstrari potest, Pythagoram τὸν πομήτην fuisse philosophum. Idem Eratosthenis testimonium secutus est Larcherus in Chronol. Herod. Vol. VI. p. 536—38. qui in disquisitionibus suis de Pythagora a Bentlejano calculo haud multum recedit. Meliorem ingressus est quaerendi viam Lloydius (in: histoire chronol. de Pythagore etc. excusa in Bibl. choisie de M. de Clerc. T. X. p. 101—130.). Hic Satyri Sotionisque epitomatore ap. Diogenem L. VIII, 44., a quo Pythagoras octogesimo aetatis anno mortuus dicitur, fulcitus, Samii natales ad Ol. XLVIII, 3., rectius constituit, detractis octoginta annis ab Ol. LXVIII, 3., qua paulo post excisam Sybarim vitam eum obiisse putat. Vel sic tamen lectoris arbitrio remittit aliorum scriptorum testimonium ap. Diog. L. l. l. qui nonaginta annos Pythagorae attribuunt. Nunc extiterunt de la Nauze et Freret (cf. Comment. Academ. Reg. Paris. Inscrip. Tom. XIV. p. 375—400 et 472—504.). Nausius Pythagoram ortum esse vult Ol. XXXV. (p. 395.); id demonstrat cum ex aliis rationibus tum ex fide indignis scriptoribus, qui Zamolxim et Zaleucum Pythagorae discipulis false adnumerant (de his alio loco). Omnia hujus viri argumenta ingeniosa quidem levissima tamen sunt. Insigniter redarguit Nausium Freretus, Gallo Francorum sui temporis facile princeps, qui narrationibus de philosophi peregrinationibus, reditu in Samum, et adventu in Italiam, deque Sybari diruta sub examen vocatis, colligit annum natalem intercidere inter 562 et 575 a. Ch. (p. 476.) Sed quamquam doctissimus vir perplura elegantissime docuit, non satis caute, tamen versatus est in eligendis examinandisque veterum testimoniis. Brevitatis causa summas tantum computationum celeberrimorum virorum (ceterorum studia vid. ap. Harl. ad Fabric. Bibl. Gr. I. Ep. II. p. 754 seqq.) indicavi, eas enim subtiliori quam a Meinersio p. 304—360. institutum est, examini hic subjicere, limites, quibus commentatio coarctata est, haud concedunt.

Aristoxenus Peripateticus refert (ap. Porphyr. V. P. §. 9. Mahnium de Aristox. p. 33.), Pythagoram quum quadraginta annos natus esset, in Italiam discessisse; quae narratio, in qua plurimi virorum in nota laudatorum offenderunt, quippe ipsorum calculis minime probata, quam fide digna sit, praestat Aristoxeni nomen; deinde ex gravissimorum scriptorum testimoniis, quae ex limpidis fontibus fluxisse postea demonstrabimus, compertum habemus, Ol. LXII. eum in Italia inclaruisse. Enimvero priusquam illa gloria, quam ad certum Pythagorae vitae momentum refero, spargeretur, hic jam ab Ol. LIX. commoratus erat cum in insula Delo tum in Italia (vid. postea); deductis igitur quadraginta annis, in ea sum sententia, ut Pythagoram circiter Ol. XLIX. natum esse existimem. Haec bene conspirant cum iis, quae de anno, quo locupletissimus testis mortuum dicit philosophum, alio loco proferemus.

In eo fere omnes scriptores consentiunt, Pythagoram fuisse Mnesarchi filium, ubi vero natus sit, de hoc cum maxime inter se dissident. Theopompus, Aristoxenus (quos haud dubie respicit Cleanthes ap. Porphyr. §. 2.) et Aristarchus eum Tyrrhenum dicunt (ap. Clem. Alex. Str. I. p. 300. et Theodoret. Orat. I. p. 468 C. et 473 B. ed. Par. cf. Diog. L. VIII. §. 1.) quos secuti videntur Diogen. ap. Porph. §. 10 et Euseb. Praep. Ev. X, 4. p. 470 Vig., Hermippus et Hippobotus (ap. Clem. l. l. ap. Joseph. in Apion. p. 1180. Ob. vid. Diog. L. l. l. ibiq. Intr.) Samium, Pausanias et Lycus (Paus. II, 13. Lyc. ap. Porph. §. 5. cf. Diod. Sic. Exc. Vales. p. 554. Wess.) Phliasium. Omnes quamvis diversissimae sententiae hoc modo facile componi posse videntur. Pausanias l. l. narrat, quum Dorienses terram circa Phliuntem occupaturi essent, Hippasum quemdam ejusque socios suasisse, ne absque pugna iis concederetur terra, sed quum non audirentur, in Samum confugisse. Quarto loco descendere Pythagoram sapientem ab illo Hippaso. Stemma hoc est: Hippasus — Euphron — Mnesarchus — Pythagoras. Cum Pausaniae narratione in universum concinit Diog. L. l. l., quamquam transpositis paululum et auctis nominibus. Porro scimus, Tyrrhenos Pelasgicos, qui in Attica olim consederant, quum inde expulsi fuissent, in insulis Aegaei maris sedem collocasse, tempore vero Androclis Samiorum ab illo Ephesiorum duce ejectorum partem eodem emigrasse et a se nuncupatam insulam Samothracen condidisse (cf. Antiphon ap. Suid. s. v. Σαμοθρ. Heraclid. frag. 21.

Paus. VII, 4, 3. vid. Panofka Res Sam. p. 13. 20. 21.) [1]). Enimvero Cleanthes l. l. affirmat (cf. etiam Plutarch. Symp. VIII, 7. p. 727. B. ed. Fr.) Pythagorae patrem fuisse Tyrrhenum; ex quo probabile fit, philosophi majores tempore ductae coloniae Samum reliquisse atque in unam insularum, quas Tyrrheni possidebant, concessisse, ibique cum iis commixtos esse. Hic igitur noster oriundus est, et postea a patre deductus Samum discessit. Addit enim idem Cleanthes, Mnesarchum κατὰ πρᾶξιν insulam petiisse et a Samiis, fortasse propter Samiam suae gentis originem [2]), civitate donatum fuisse. Duxit me in hac re Odofr. Muellerus, vid. Orchom. p. 408. Dores. T. I. p. 80. II. p. 393. Etrusc. T. II. p. 345. cf. Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 44 ed. sec. Ex hac comparatione liquet, omnes supra laudatos scriptores verum tradidisse, sed suo quisque modo. Si Lycus. l. l. discrepantes narrationes proferens Pythagoram Metapontinum vocat, id quoque veterum rationi tribuendum est, qua hominum clarissimorum non ab eo quo nati sunt loco, sed quo vitae partem degerunt et gloria floruerunt, patria denominatur. Pythagorae cum Metaponto commercium quoddam fuisse, quin ibi mortuum eum esse, postea probabimus. Omittimus aliorum narrata de philosophi patria, quibus omnino nihil veri subest. Pythagoram virum omnibus rebus praecellentissimum sui temporis fuisse cum totius antiquitatis consensu, tum omnibus factis gestisque perspicuum est. Nos praeclara vetustatis ingenia admirantes et quidquid magnifici invenerint et disseminaverint, in usum nostrum convertentes, libenter largimur, neminem veterum philosophorum nec ante Pythagoram nec postea extitisse, qui tam singulari modo quid mens sagacissima eruerit, utilitati et saluti vitae humanae accommodaverit. Operae pretium est videre, quo duce mirificas ingenii vires excoluerit Pythagoras. Primum antiqui scriptores, quos serior aetas secuta est, testantur, eum disciplina Pherecydis philosophi et cujusdam Hermodamantis Samii usum esse (cf. Cic. Tusc. I, 16. de Div. I, 50. et Sturz Pherecyd. fragm. p. 8. Cleanthes ap. Porph. §. 1.). Quod illi acceptum retulit est dogma de animarum migratione (Cic. Tusc. l. I.), quod huic,

---

1) Adde Boeckh. Oecon. Athen. I. p. 445. not. 470. et Welcker. Prometh. p. 223. — Ceterum simile exemplum praebet Antiphon Rhamnusius, qui genus suum ab iisdem Samiis, qui Samothracen condiderant, in frag. I. ap. Suid. ducit.

2) Altera enim pars profugorum Ephesiis expulsis Samum receperat.

minus cognitum est. Cum Pherecyde familiarissime vixisse, quin eum aegrotantem curasse, et mortuo ultimos honores praestitisse refert Aristox. ap. Diog. I, §. 118. Diodor. Exc. p. 554. Sturz p. 18. Verum enim vero vitae scriptores multo minus tribuunt huic disciplinae quam peregrinationibus. Constans est antiquitatis fama, miro historiae filo firmata, Pythagoram terras Orientales peragrasse, ut scientias mathematicas deorumque cultum addisceret. Plurimum vero auctoritatis habet peregrinatio in Aegyptum, quam, ut sacerdotum sapientia initiaretur, suscepisse fertur. Monet me rei gravitas, paulo accuratius ut eam indagem. Audiamus antea testimonia vetustissima. Primus Herodotus tradit Aegyptiaci sacerdotii ritum non laneis sed lineis vestibus sepeliundi mortuos observari etiam in Orphicis et Bacchicis orgiis dictis, quae Aegyptia et Pythagorica sint. II, 81. et altero loco, animas hominum ex sacerdotum decretis per statum tempus ab aliis post mortem transire ad alios, quam doctrinam nonnullos Graecos pro sua publicasse, quorum nomina se scire sed reticere. II, 123. Quo diutius Herodoti verba considero, eo magis confirmatur animus, injuste eos egisse, qui ad Pythagoram Aegyptium ea retulerunt. Prior enim locus prorsus aliud significat, quam quod vulgo creditur, quamquam paulo obscurius. Sermo est de Orphicorum sacris, quae ex Herodoti judicio partim ab Aegypto originem ducerent, partim ex Pythagoricis conflata essent. Ultima haec verba pertinent ad conjunctionem Pythagoricorum cum Orphicorum secta, quae eversis Pythagorae collegiis a superstitibus discipulis inita est (de his alibi). Nihil igitur inest Herodoti verbis, quod Pythagorae peregrinationem in Aegyptum comprobet [1]). Idem etiam valet de altero loco. Dogma de immortalitate animi, ait historicus, aut rectius de metempsychosi, Aegyptiorum sacerdotes primi docuerunt, quo, tamquam suo et proprio, quidam Graeci usi sunt, alii antiquiore alii recentiore tempore. Ponamus, Herodotum suppresso nomine Pythagoram intellexisse, inde non sequitur, hunc illius doctrinae percipiendae causa Aegyptum adiisse. cf. Wyttenbach. de Immortal. animi, in Opusc. select. Tom. II. p. 194 sq. Friedem. Ratio hujus inveterati erroris haud dubie in hac ipsa peregrina doctrina latet. Cer-

1) Rectam explicandi viam jam ingressus est Odofr. Muellerus in Prolegom. Myth. p. 379. sq. Quem sensum Lobeckius (Aglaoph. T. I. p. 245. et T. II. p. 1104.) verbis supposuit, quo suam de orgiis Bacchicis sententiam stabiliret, ab Herodoti mente alienus est.

tum est, hoc dogma priscorum Graecorum indoli alienissimum esse, nam ejus nec in ullo antiquo carmine nec mytho deprehenduntur vestigia, incognitum vero, quando et quomodo in Graeciam sit illatum. Certe ante tempora Pythagorae id vulgatum fuisse, ex pluribus rationibus haud absimile est. Jam Pherecydes id tenuisse et Pythagorae tradidisse constanter memoratur, vid. Sturz. l. l. tum in mysteriis tractatum esse videtur; quod vel Lobeckius V. C. concedit, qui alias omnem reconditiorem disciplinam ex his detrudere conatur. cf. Aglaopham. I. p. 73. Itaque quidquid ex Herodoti locis collegerunt viri docti, falsum est. Sed alia restant haud contemnenda indicia. Diserte tradit Isocrates in Busiride c. 11. Pythagoram in Aegyptum venisse ibique cum sacerdotibus conversatum ab iis sanctioris vitae praecepta (τὰ περὶ τὰς ἱερατικὰς ἁγιστείας) retulisse: ὧν καὶ Πυθαγόρας ὁ Σάμιος εἷς ἐστιν, ait, ὃς ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων sc. sacerdotum γενόμενος, τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασεν. Quae illa ἄλλη φιλοσοφία fuerit facile divinandum est, scilicet doctrina de animae migratione, de qua tamen cautius tradit Dicaearchus ap. Porphyr. §. 19. φαίνεται γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα τὰ δόγματα πρῶτος κομίσαι ταῦτα Πυθ. De Antiphonte, quem multi in hanc arenam deduxerunt, in ambiguo manet, num fide dignis scriptoribus adnumerari debeat, quum nondum ad liquidum sit perductum, quisnam ille fuerit Antiphon, cujus de Vita illustrium virorum librum laudant Porphyrius §. 7. et Diog. Laërt. VIII, 3. cf. Jons. Script. hist. philos. p. 322. Hic scriptor narrat, Pythagoram a Polycrate literas commendaticias ad Amasin accepisse, quo facilius sub regio fautore ad arcana sacerdotum admitteretur. Scimus inter Ol. LIII, 3. et LVI. Samiorum tyrannum cum Amasi donis missis receptisque hospitium contraxisse (Herod. III, 39. vid. Bentl. de aetat. Pythag. p. 34. cui merito adstipulatur Panofka Res Samior. p. 29. vid. 33.); fieri igitur poterat, ut philosopho in hanc modo reseratam terram liber aditus pateret, vel sic tamen nescio quid commenti huic commendationi inesse mihi videtur.

Nunc subsequitur nubes scriptorum aures obstrepentium, quorum auctoritas, quum de industria Pythagoram tamquam hominem sanctissimum et magorum mysteriis initiatum repraesentare studeant, nihili aestimanda est, quibus nominandis supersedere consultius puta-

mus [1]). Itaque prorsus destituti sumus certioribus indiciis hujus peregrinationis, quae eousque desiderabuntur, donec tempus advenerit, quo majore cum fide de rebus Aegyptiacis disserere poterimus. De his hactenus. Verum haud praetermittendum censemus, quod ex nonnullis philosophiae vestigiis de Pythagorae institutione colligi licet. Perscrutantibus nobis simulque conferentibus Pythagorae dogmata cum Jonicorum philosophorum placitis, sponte in oculos incurrit similitudo quaedam in duobus illis principiis, ex quibus res formari statuit Pythagoras. Quod jam Anaximander docuit, rerum materiam esse infinitum (ἄπειρον) omniaque cingens (περιέχον), id alia quamquam ratione definitum in suum systema transtulit Pythagoras, dicens, rerum principium esse ἄπειρον et quidem ἄπειρον πνεῦμα mundum circumdans. Aristot. Phys. III, 4. (cf. Brandis. de numeror. doctrina Pythag. et Platonic. in Museo Rhen. 1828. fasc. 2. pag. 219.) Nonnulla alia similia decreta inveniuntur, de quibus suo loco disputabitur. Incredibile est, Pythagoram, quum ad philosophiam accessisset, Jonum dogmata neglexisse aut prorsus repudiasse, imo fervido discendique cupiditate flagranti ingenio convenientissimum erat, ea suscipere iisque sua superstruere. Hinc fortasse explicandum est, quod narratur, Anaximandrum Pythagorae magistrum fuisse. cf. Apollonium ap. Porphyr. §. 2. et Jamblich. §. 11. nec non Apulej. in Florid. p. 130. ed. Bip. Idem Apollonius tradit, Pythagoram νόμων ἕνεκα Spartam et Cretam visitasse, ap. Jambl. 25. et Justin. XX, 4. eum Cretam et Lacedaemona, ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclytas ea tempestate leges contendisse. cf. Valer. Max. VIII. c. 7. ext. 2. Quod multi infandum quid clamitarunt, immerito infringentes auctorum fidem. Nam in rebus dubiis semper consulenda sunt Pythagorae instituta. Ex iis quae postea de institutione societatis sequentur, apparebit, Pythagoram non Aegyptiorum sed Doriensium vita, moribus, religione et publica disciplina tantopere imbutum fuisse, ut jure meritoque eorum terram lustrasse concedas. Sufficiant haec pauca de disciplina Pythagorae. Quae omissa sunt suo loco tractabuntur. Ex itineribus redux, pergit Apollonius, aperuit ludum literarium Sami, Pythagorae hemicyclium dictum, quo postea Samii, si de rebus publicis consulturi essent, usi sunt. Quam utilissima-

1) In vita priscorum philosophorum hoc semper tenendum est, seriores scriptores id constanter egisse, ut illos in terras exteras vel minus cognitas ad altiores disciplinas addiscendas itinera fecisse contenderent.

rum rerum cognitionem collegerat, eam in patriae salutem conferre studuit.

Sed haud longum tempus ibi commoratus est. Referunt nonnulli, eum propter declinatas πολιτικὰς ἀσχολίας, aut Samiorum tum temporis in literis socordiam insulam reliquisse, (cf. Apollonium scriptorum narratis nixum ap. Jamblich. 28.); alii contra, quum Polycratis tyrannidem vehementiorem vidisset, quam ut homini ingenuo ejus dominationem tolerare liceret, discessum parasse [1]). Aristox. ap. Porphyr. §. 9. Strabo XIV. p. 638. Ovid. Metam. XV, 60. Plutarch. Placit. Phil. I, 3. Dio Chrysost. Orat. XXXXVII. p. 524. Mor. Origin. Philos. 2. Solin. Polyh. 17. Themist. Orat. IV. p. 102. edit. Pet. Tzetz. Chil. XI, 80 seqq. Schol. ad Plat. Remp. X. p. 420. Bekk. Horum scriptorum narrationem haud dubie ceteris anteponendam esse docet insulae Sami status. Interfecto enim ultimo Samiorum rege, abrogato postea Geomororum principatu, instituta democratia, Polycrates, Aeacis filius, populari aura adjutus perfecerat, ut fracta Samiorum libertate tyrannidem susciperet. Fateri debemus, insulam Samum sub tyranni imperio vel maxime floruisse. Usus est enim Polycrates prospera fortuna in bellis, multa felicitate in regno; favit literis artibusque, vid. Panofka Res Samiorum, p. 26 — 43. Nihilominus cum omnibus tyrannis id commune habebat, quod sub praetextu servandae plebejae potestatis cives violenter tractabat (Diod. I, 95. Plut. de Superst. p. 166. C.), quae violentia sapientem et justum Amasin eo adegit, ut amicitiam et hospitium ipsi renunciaret (Diod. l. l. quem Herodoto III, 40. [Max. Tyr. Diss. V. c. 5.] praeferam). Equidem non dubito asseverare, hunc insulae statum perpetuum odium in tyrannos Pythagorae instillasse, porro philosophum Spartanorum legibus meliora edoctum, quum Samum reversus esset, consilia ad civitatis mutationem exacta et tyrannidi infestissima animo concepisse, et juvenum coetu ad effectum adducere voluisse [2]). Attamen tempus nullatenus obsecundabat propositis, Polycratis tyrannis vigebat, populus contentus erat ejus re-

1) Haec Aristoxeni verba a Porphyrio addita suspicatur Bentlej. de aetate Pythagorae, p. 34. Lenn.; immerito. Ceteri enim laudati scriptores, nominatim Strabo l. l. eandem discessus rationem repetunt.

2) Refert Apollon. ap. Jamblich. 28. Samios ad omnes legationes traxisse philosophum, ex quo certe id conficitur, in summo honore eum habuisse cives.

gimine. Sponte igitur Pythagoras navigavit in aliam terram. Pervenimus nunc ad gravissimum Pythagorae vitae momentum, quod unumquemque, qui non aequo animo humani generis fata suscipit, mirifice afficit et commovet. Prosequimur philosophum in regionem discedentem, quae Samiis, mercandi studiosissimis, sine dubio haud incognita fuit. cf. Cleanth. ap. Porph. §. 2. Magna illa Graecia erat, quam sibi elegerat reformandam exornandamque. Priusquam ad alia transgrediamur, qua aetate illud factum sit, definiendum est. Cicero tangit saepenumero turpem temporis errorem de Numa Pythagoreo [1]); evidentissime demonstravit, hunc non solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum. Nam, quartum jam annum regnante Lucio Tarquinio Superbo, Sybarim et Crotonem et in eas Italiae partes Pythagoram venisse reperiri. Olympiadem enim secundam et sexagesimam eandem Superbi regni initium et Pythagorae declarare adventum, neque hoc inter eos, qui diligentissime persecuti sint temporum annales, ulla esse unquam in dubitatione versatum. Cic. de Rep. II, 15. (Tusc. Q. I, 16.) Certissime credo, hanc computationem ex parte Apollodori rationibus superstructam esse [2]). Romani

1) Cf. Cic. de Orat. II, 37. Tusc. Qu. IV, 1. eundem errorem notant Liv. I, 18. fortasse contra Pisonem aut Valer. Antiatem (Livius XL, 29. Plin. N. H. XIII. Sect. 27. vid. Lachmann. de fontibus Liv. comment. I. p. 53.) Dionys. Halic. II, 59. et Plut. Num. c. 1. qui alium Pythagoram Spartanum substituit. vid. Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 244.

2) Ciceronem e tabulis chronologicis cum has, tum quas antea (II, 10.) constituit, descripsisse aetates, facilius est intelligere, quam cujusnam illae fuerint, dicere ac demonstrare. Nam ipsos Apollodori libros Chronicos jambis conscriptos eum excerpsisse pernego. Quid enim? nonne historiae Romanae συγχρονισμὸς, quem sequitur Cicero, obstat? Sed fuerunt, qui ex Epist. ad Attic. XII, 23. illas excellentium in utraque gente hominum congruentes aetates ab Apollodoro compositas colligerent. "*Quibus consulibus*, scripsit ad Atticum Tullius, *Carneades et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali* [P. Scipione et M. Marcello Coss.]. Haec, nunc quaero, quae causa fuerit? de Oropo, opinor, sed certum nescio: et, si ita est, quae controversiae? praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui praefuerit hortis? qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres? *quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire.*" Summa quaestionis vertitur in verbis, *scriptum est in tuo annali*; num Apollodori, ad quem postea delegat Atticum, intelligit annalem Cicero? minime. Attici dico, antiquitatis amatoris, est volumen, in quo totam antiquitatem, quam diligenter habebat cognitam, exposuit, quo magistratus *ordinavit* (ita enim scribendum est) omnemque rem illustrem

enim ejus Χρονικοῖς tamquam ἀξιοπίστοις familiarissime utebantur. Cf. Menag. ad Diog. Laërt. II, 2. Fabricii Biblioth. Gr. Tom. III.

---

populi Romani suo tempore notavit, Corn. Nep. Attic. c. 18. Circumspicientibus igitur nobis alium temporum scrutatorem, qui Romanos cum Graecis composuerit viros, admodum probabilis visa est Odofr. Muelleri conjectura (quam benevole mecum communicavit Vir Humanissimus) qua Nepotis computationem Apollodori haud dubie exemplo et auctoritate factam secutus sit Cicero. Nepotem enim Ciceronis amicum (Gell. N. A. XV, 28, 1.) in libris Chronicis rebus Romanorum memorabilibus insignium Graecorum virorum adscripsisse tempora, ex inclytis apud Gellium N. A. XVII, 21. fragmentis intelligi potest. Ejusdem autem cum Ciceronis notationibus, Ciceronis vero cum Apollodori chronologia inter se conciliandas esse rationes, quantum pro Nepotis fragmentorum paucitate licebit, ostendere experiamur. Roma condita est, refert Cicero (de Rep. II, 10.), secundo anno Olympiadis septimae, idem in tanta computationum discrepantia notat Nepos ap. Solin. c. 1. Paulo post Lycurgi legislationem ponit centum et octo annis ante primam Olympiadem, eandem aetatem statuit Eratosthenes (Clem. Alex. Strom. I. p. 403. cf. Clinton. Fast. Hell. p. 408. not. t.), quocum in gravissimis notationibus, ut in definiendo bello Trojano (1184 a. Ch.), Heraclidarum reditu (1104), prima Olympiade (776), consentit Apollodorus, ex quo dubitari nequit, quin uterque in Lycurgi aetate conspiraverit. Idem summa probabilitate conjicere licet cum ex Plutarchi narratione, quamvis non satis accurata in Lycurg. c. 1. (at Plut. haud videtur, quod Clinton. F. H. l. l. opinatur, Iphiti Olympiadem pro Coroebi accepisse), tum ex ipsa negligentia, qua Eusebius Arm. Canon. p. 169 et Syncellus p. 349. ed. Bonn., Iphiti Olympiadem cum Coroebi miscentes temporis ab Apollodoro descripti turbarunt rationes. De Homero taceo, cum luculenter pateat, varias variorum computationes ante oculos habuisse Ciceronem, nec adeo diligenter poëtae tempus designare voluisse, credo tamen Apollodori calculum eum haud ignorasse $\left(\frac{\text{Homerus } 944}{\text{Lycurgus } 884} = 60\right)$. Simonidis ortum ex omnium Graecorum chronologorum consensu ad Ol. LVI. constituit. Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit quaestio, Ol. LXII. Superbi regni initium et Pythagorae declarare adventum dicit, idem Tusc. Q. I, 16. Pyth. quum Superbo regnante in Italiam venisset etc. Gellius l. l. §. 6., qui ex libris Chronicis tempora aetatesque congruentes se excerpere confitetur, Cornelio Nepote paulo antea in usum vocato, Pythagoras Samius, ait, in Italiam venit, Tarquinii filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit. Inde apparet, idem tempus advenienti Pythagorae tribuisse Nepotem simul atque Ciceronem, alterum tamen, ut supra probavimus, adventum cum flore manifesto commutasse; quem in errorem facilius Romanum quam Graecum induci potuisse, non est, quod pluribus demonstremus.

p. 668. Cicero vero, si Graecorum annales respicit, Apollodorum, quem in summo honore habebat, potissimum intelligit, cf. ad Attic. XII, 23. Vel sic tamen indiligenter tempus notatum mihi videtur. Alii enim scriptores, ut Clem. Alex. Strom. I. p. 302. B. et 332. A. Tatian. Or. c. 64. (Euseb. Praep. Ev. X. p. 496 B.), Cyrill. in Julian. Apost. I. p. 13 A. (Tom. V. ed. Aub.), qui hoc loco accuratissime clarorum virorum aetates constituit, inprimis vero Euseb. Chron. Arm. Tom. II. p. 201. ed. Aucher. (Chron. Pasch. 115 A.), quem constat, plurimum in definiendis philosophorum temporibus ex Apollodori Chronicis sumsisse, hi omnes referunt, Pythagoram Ol. LXII. floruisse, non advenisse; quod ex more chronologorum interpretandum est. Annalium enim scriptores, si tempus, quo philosophi floruerint, definiunt, ubique fere illud momentum, tamquam gravissimum, seligere solent, quo evulgarunt illi celeberrimum opus. Constans autem est fide dignissimorum auctorum consensus, Pythagoram nihil scripti memoriae prodidisse. Ad quamnam igitur vitae partem gloriosissimam illud *ἀκμάζει* sive *ἐγνωρίζετο* transferendum est? nonnisi ad eam, qua condidit societatem inseparabilem. Sed nec his contenti sumus. Postea comprobabimus, Pythagoram advenientem aliis rebus occupatum fuisse, et sodalitii instruendi consilium aliquanto post executum esse. Quocirca eum ante Ol. LXII. circiter LX. in Italiam venisse puto. Priusquam vero in hanc terram intraret, in insula Delo apud aegrotantem Pherecydem (*χρόνον ἱκανόν*, Diod. Exc. Val. p. 554.) fuisse, accuratiores scriptores, Dicaearchus et sicut videtur Aristoxenus [1]) nuntiant. vid. Dicaearch. ap. Porphyr. §. 56. Aristox. ap. Jambl. §. 248. Cf. Apollonium ap. Jambl. §. 35. Quocirca cogimur hanc commorationem in Ol. LIX. ponere, quod bene conspirat cum iis, quae de Pherecydis morte explorata habemus, vid. Dodwell. de Cyclis. Diss. III. pag. 141. Bentlej. de aet. Pyth. p. 32. Lenn. et Sturz. fr. Ph. p. 7. —

Postquam Pythagorae vitam, quam brevi licuit, usque ad hoc memoratissimum momentum deduximus, hic subsistendum est. Do-

1) Narrat enim laud. loco Jamblich., absente Pythagora insidias structas esse Pythagoricis, quae autem tum fuerit ejus peregrinatio, de eo dissentire scriptores, Nicomachum ad Pherecydem, Aristoxenum contra Metapontum profectum esse contendere. Nicomachi narratio de morbi mortisque genere Pherecydis futilissima, fideque omnino indigna est. (Jambl. §. 252. 184. cf. Sturz. fragm. Pherecyd. p. 17. et Zinserling *Pythagoras-Apollon* p. 57 sqq.. qui bene hoc enucleavit). Aristoxenus igitur non apud Pherecydem, sed Metaponti eum fuisse tradit.

cuit enim accurata veterum tractatio, ab iis, qui usque ad nostrum tempus Pythagoricae societatis historiam conscripserunt, recedere et aliam quaerendi viam ingredi. Multum desideratur, ad scopum illius societatis animo comprehendendum et rite explanandum. Itaque constituimus de civitate Crotoniensi, ceterarum Magnae Graeciae civitatum respectu habito, paululum praeludere, maxime vero id tempus respicere, quo Crotone in medium procedentem invenimus Pythagoram. Diu dubius haesi, utrum illam viam inirem, an singula valde necessaria suo loco inculcarem. Vicit prior ratio. Verum, id non spectamus, totam illius civitatis historiam enucleare, quod nostro consilio inconveniens esset, sed ea praemonere et illustrare, quae ad quaestionem permultum valent. Praesentio quidem, hanc inquirendi rationem multis primo adspectu improbatum iri, sed cum viris tantum intelligentibus et rei peritis ago, qui absoluta quaestione judicent quid sentiant.

II.

Temporibus illis turbulentis, quibus Dores in Peloponnesum irrumpentes felici manu Achaeorum populum suo imperio subjiciebant, subjecti vero a victoribus omnia sibi vindicantibus sollicitabantur et premebantur, relinquendi quaerendique patriam multis causa fuit. Catervae Achaeorum emigrant feliciores oras petentes. Dores autem praevalida potentia instructi, ut sua instituta et mores simul cum cultoribus advenis in alienas terras deducerentur, ubique curantes, nec in his fecerunt Achaeis liberum arbitrium; praeposuerunt iis duces nobili gente prognatos. Tantae rerum commutationi urbs Crotonis originem suam debuit circa Ol. XVIII. [1]).

1) Herodot. VIII, 47. In tanta scriptorum Crotonis ortum definientium differentia magis seligendum quam discernendum esse, putat Niebuhrius. Dionys. Halic. II, 59. Ol. XVII, 3. (sec. Timaeum, quo insistit Clinton. in Fastis Hellen. Append. p. 409. u. et p. 265.) Eusebius Ol. XVIII, 1. constituunt, Chronic. Armen. II. p. 181. Miror tamen, Niebuhrium et O. Muellerum, Eusebium se sequi dicentes, Ol. XIX, 2. statuisse, cum hic annus Scaligeri tantum, qui Eusebium ab Hieronymo translatum et emendatum habebat, conjectura fulciatur. Niebuhrius in Hist. Rom. I. p. 163. Odofr. Muellerus in Dor. I, 126 (sed vid. II, 488.).

Nulli dubitationi obnoxium est, hanc coloniam sub ductu et auctoritate Spartanorum emissam esse, quod cum alia indicia tum certum antiquitatis testimonium commonstrant [1]). Perspicue memorat Pausan. III, 3, 1. Τελευτήσαντος δὲ Ἀλκαμένους, Πολύδωρος τὴν βασιλείαν παρέλαβεν ὁ Ἀλκαμένους, καὶ ἀποικίαν τε ἐς Ἰταλίαν Λακεδαιμόνιοι τὴν ἐς Κρότωνα ἔστειλαν. Vindicavimus igitur Doricam Crotoni originem. Respiciendum vero est, sicuti plurimas Italiae civitates, ita Crotonem tutissimum recessum undecunque collectae multitudinis fuisse. Domestica seditio, nimia superfluentis populi frequentia, intoleranda infelicis soli vitia, fertilissimae Italiae fama in causa potissimum fuerunt, quod quovis tempore ingens hominum copia emigraret, quos libentissime recipiebant Graeci. cf. Niebuhr. Hist. Rom. I, 165. Odofr. Mueller., Dor. II. p. 61. His advenis in civitatem receptis factum est, ut quae in condita urbe consederant priscae familiae paulatim obscurarentur. Croton fuit bene munita et haud importuosa urbs (Liv. XXIV, 3. Polyb. X, 1. Strabo VI. p. 262.) [2]), prae ceteris vero praecellens regionis salubritate et soli fertilitate. Plin. N. H. II. Sect. 98. Quod modo protulimus Delphicum oraculum praedictae sanitatis, id seriore aetate, et quidem florentissimo Crotonis statu, confictum esse nemo negabit. Idem spectat alterum oraculum ap. Schol. ad Aristoph. Nub. 370. Cum-

1) Myscellus Heraclidarum unus (Ovid. Metam. XV, 19.) Crotonis οἰκιστής (Strab. VIII. p. 387.) atque cum eo Archias Heraclida, Syracusarum conditor, Apollinis oraculum acceperant, ex quo utrum divitiis abundantem an sanitate florentem locum occuparent, eligerent. Ille ὑγιείαν, hic πλοῦτον praetulit. Strabo VI. p. 269. Schol. ad Aristoph. Equ. 1089. Referunt quidem Hippys Rheginus et Strabo, Myscellum Rhypas Achaiae urbem patriam habuisse (Hipp. in Chronic. apud Zenodot. Adag. III, 42. non Hippeus, quod jam correxit Krueger. ad Clinton. Fast. Hell. p. 382. not. s. Strabo VIII. p. 387.; adde Scymnum Ch. v. 324 et Solinum cap. 2.), scimus vero Heraclidas etiam Achaicas inhabitasse urbes, ita ut Ovidii narratio, quam immerito infringere studet Welck. in Proleg. ad Theogn. p. 47. not. 66. contra Odofr. Muellerum, Dor. I. p. 127., non ficta, sed ex antiquis mythis libata esse videatur. Conjunctio Archiae Heraclidae cum Myscello, Apollinis oraculum (vide etiam Dicaearch. ap. Jambl. §. 52. 53.), in fundandis Doricae originis coloniis usitatissimum, haud dubie significant Dorum principatum.

2) De situ et hodierno statu urbis (Cotrone) elegantissime agit Just. Tommasini (Henr. Westphal) in: *Spatziergang durch Calabrien u. Apul.* p. 162. 168. 169. 175.

primis autem celebrant urbis praestantiam duo illa proverbia: *ὑγιέστερον Κρότωνος* (Strab. VI. p. 262. Liban. Epist. 386 et 1239.) et: *μάταια τἆλλα πρὸς Κρότωνα τἄστεα* (Schol. ad Theocr. Id. IV, 33.). Patet tam saluberrimum coelum in civium naturam et mores mirifice valere debuisse. Itaque communis est scriptorum consensus, Crotoniatas multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antestetisse, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulisse, vid. loc. class. de Croton. nat. ap. Cic. de Inv. II, 1. cf. Strab. VI, p. 262. Una Olympiade septem qui stadio victores renunciati sunt, omnes Crotoniatae fuerunt, Dicaearch. ap. Jamblich. §. 44., ut non injuste dictum videatur, addit Strabo, extremum Crotoniatarum reliquorum Graecorum esse primum, Strabo l. l. Plurimos protulit urbs Olympionicas, omnem tamen suum vigorem et masculam vim in uno athletarum, celeberrimo illo Milone, immensi roboris viro, cum in ludis tum in bello conjunctam vidit [1]). Ad cultum quod attinet apud Crotoniatas, in historia coloniarum nihil vulgatius est, quam quod coloni, vel ii qui non publico consilio, sed ex secessione populi emissi sunt, propter pietatem erga metropolin suam deos in novam patriam deferunt, eademque veneratione colunt. Primi Spartanorum dii erant Apollo et Hercules, iidem inveniuntur Crotone [2]). Apollini, ut Pythio, Hyperboreo et Alaeo templa consecrata erant [3]); vid. Dicaearch. ap. Jambl. §. 50.

---

1) Pulchre dicit Maxim. Tyr.: *ὁ μὲν Κροτωνιάτης ἐρᾷ κοτίνου Ὀλυμπικῆς, ὁ δὲ Ἀθηναῖος νίκης τριηρικῆς, ὁ δὲ Σπαρτιάτης ὁπλιτικῆς* etc. Dissert. XXXV, 1. Refertus est Crotoniatarum victorum multitudine Julii Africani catalogus Olympionicarum: Ol. XLVIII. vicit Glycon Croton. (Pausan. Phoc. c. 7. Corsini Fasti Att. III. p. 81.) Ol. XLIX. Lycinus Croton. (Corsini III, 85.) Ol. LI. Eratosthenes Croton. (Corsini III, 89.) Ol. LIV. Hippostratus Croton. (Corsini III. p. 92.) Ol. LV. idem (Cors. III, 94.) Ol. LVIII. Diognotus Croton. (Cors. III. p. 107.) Ol. LXII. Milo puerorum lucta semel, mox virorum quinquies vicit. (Cors. III. p. 117.) De Milonis victoriis vid. Diodor. XII, 9. Pausan. VI. c. 14. §. 2—4. Tzetz. Chiliad. II. 460 seqq. Schol. ad Arist. Ran. v. 55.

2) Hos deos inprimis Crotonis Doricam originem arguere, jam Odofr. Muellerus, Vir Egregius, observavit. Dor. I. p. 126. II. p. 178.

3) Apollinis caput laureatum, inprimis tripus, serpens ceteraque dei insignia, Hercules quoque juvenis leonis pelle redimitus et Juno Lacinia constanter apparent in Crotoniatarum numis, vid. Mionnet. in Description de Médaill. T. I. p. 188—192. Supplém. T. I. p. 338—42. et Landon in Numismatiq. du voyage du j. Anach. T. II. pl. 80. ibique Dumersan. p. 80.

Tzetzes ad Lycophr. v. 920. cf. Interpr. ad Aristot. Mirab. Auscult. p. 338 et 339. ed. Beckm. Odofr. Muell. Dor. I. p. 263 sq. Herculem ipsum ut urbis conditorem laudat Crotoniatarum mythus, ibi interfecto ex improviso heroe Crotone Apollinis piaculis purgatus esse videtur. vid Dicaearch. l. l. et §. 40. Diod. IV, 24. Odofr. Muell. Dor. I. p. 449. Junonis Laciniae, quam religiosissime colebant Crotoniatae (Cic. de Inv. II, 1.) templum divitiis inclytum in proximo promontorio situm erat. Liv. XXIV, 3. Strabo VI. p. 261. Quod Cicero (de Legg. II, 11.) bene monuit, melius Graecos atque Romanos fecisse, quippe qui, ut augerent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, urbes incolere voluerint, afferre enim hanc opinionem religionem utilem civitatibus: idem in Crotonem transverti potest. Incredibile est enim, quantum Apollinis praesentia civium animis injecerit religionis, ut notiones dei cultui innatae et insitae totam eorum naturam et indolem mirum in modum formasse et excoluisse videantur. De his alio loco disseremus.

Difficilior nunc oritur quaestio de forma, qua descripta sit Crotonis civitas, de qua quum non idem senserint, qui eam adhuc instituerunt, multum vero, si rite exponatur, in nostram Pythagoricae societatis historiam enucleandam conferat, age quantum fieri potest, ex ipsis scriptoribus eam illustremus. Ex Apollonio, viro in historia Crotonis diligentissimo (refert enim ex publicis urbis actis), discimus, civitatis formam, qualis tempore belli Sybaritici fuerit, talem fuisse ab urbe condita ordinatam, licet paulatim jam minus placeret; ap. Jambl. §. 255.; idem narrat, quum homines populares eam immutare voluissent, opposuisse se Pythagoricos, respondentes: se nolle τὴν πάτριον πολιτείαν dissolvi. ap. Jambl. §. 257. Gravissima sunt haec testimonia, a multis cognita, a nemine perpensa. Sed quae fuit ista a majoribus accepta reipublicae constitutio? Summum imperium tenebat senatus mille virorum, quod disertissime tradunt Dicaearch. ap. Porphyr. §. 18. ap. Jambl. §. 45. Apollon. ap. Jambl. §. 260. οἱ χίλιοι, ἀρχαῖον vel συνέδριον γερόντων, ἄρχοντες (vid. 126.) dictus; Diod. Sic. XII, 9. vero nominat eum βουλήν et σύγκλητον, quod nomen idem significare cum loci nexus, tum Graeca inscriptio docet, in qua Agrigentinorum consessus mille virorum σύγκλητος, συνέδριον, βουλή compellatur. (ap. Gruterum T. I. p. 401. et Castellum Sicil. etc. vett. Inscript. nova Coll. p. 79. 80.) Crotoniatarum mille viri erant nobiles (βέλτιστοι), qui magna praedia, in quae captus ager ab initio divisus et distribu-

tus fuit, possidebant, similes Syracusarum Γαμόροις, qui a censu agrorum rempublicam moderabantur (Hesych. s. v. Γάμοροι). Ex Apollonio (ap. Jambl. §. 260.) apparet, hunc senatum sine populo res decernere potuisse, porro ex accusatione ap. Jambl. §. 126. compertum habemus, eundem judicis potestatem habuisse. Accedit quod nulla in re ad rationem reddendam vocari poterat (ἀνυπεύθυνοι), quod Sybari capta plebi patrocinantes abrogare studebant, Apoll. ap. Jambl. §. 257. Graviter dolendum est, quod de singulis magistratibus fere nihil monumentis consignatum est, nisi quod civitatis sacerdos (πρύτανις), qui primo et septimo quoque mensis die templa circumibat et sacra publica faciebat, commemoratur tempore, quo civitas jam aliter temperata erat. (Timaeus ap. Athen. XII. p. 522 C.) 1).

Quantopere autem circumscripta fuerit populi vis, jam ex delineato loco, quem obtinuerunt optimates, sponte in oculos incurrit. Decernebat quidem populi concio in rebus gravioribus, ut in deliberatione de Sybaritarum exulibus, haud dubie affirmando et renuendo, nihilo tamen minus senatus, qui ipsi praeerat et rem ad populum deferebat (Diod. XII, 9.), hanc ad suum commodum direxisse videtur. Praeterea docet Apollonius (ap. Jambl. §. 257.), non omnes Crotoniatas ad comitia admissos, sed sine dubio ex census ratione, et quidem, ut mihi videtur, Solonis timocratiae instar, certos civium ordines constitutos fuisse, recepta ἰσοτελέων multitudine, qui ex lege tam a suffragiis ferendis quam magistratibus gerendis exclusi erant. Omnibus Italiae civitatibus, quarum imperium penes synedrium mille virorum, vel certum nobilium familiarum numerum erat, communiter accidit, ut crescente paulatim in immensum incolarum multitudine plebs, quae reipublicae regiminis non particeps erat, cum principibus conflictaretur, eosque mature serove ejiceret. cf. Aristot. Pol. V, 3. Id non casu, sed rei convenienter factum est. Optimates enim omni modo populum arcebant, quominus magistratus ambiendo imminueret ipsorum jura, et quod maximum, vindicandis saepe praeter jus latissimis praediis suas opes augebant; populus igitur stomachosus ut fundi dividerentur (ἀναδασμὸς) quotidie postulabat, quod quum nollent nobiles, justo celerius expulsi sunt. Hac occasione fieri solebat, ut factiones coalescerent, populi jura sub praetextu defen-

1) Num Pythagorae aetate haec sanctissima dignitas et quidem ex Spartanorum ratione instituta fuerit, alio loco decernemus.

dentes, quae dejectis nobilibus suos duces in imperio collocarent, hi vero subditos ita sollicitarent, ut rursus pellerentur, et sanior democratia institueretur. Hunc rerum progressum et exitum invenimus Tarenti, Agrigenti, Rhegii, aliis civitatibus (cf. Heyn. Opusc. II. p. 222. 271. Odofr. Muell. Dor. II. p. 175 sq. 163. Goeller. de situ Syracus. p. 209. 210.); idem Sybari accidisse declarat historia. In hac urbe regnabant quingentorum Troezeniorum ab initio assumtae familiae, quae tamen ducentis fere annis post seditiosorum turba ejectae sunt (Arist. Pol. V, 3.); de quo postea. Revertamur nunc ad Crotonem. Vidimus, populi potestatem omni modo coërcitam fuisse; quae quum ita essent, aliter fieri non poterat, quam ut populus studio novandarum rerum agitaretur et occasionem quaereret, aut abrogandi antiquam formam, aut potiora jura assequendi. Jam paulo ante Ol. LV. quum Crotonienses cum Metapontinis et Sybaritanis urbem Sirim cepissent, conflictatus est populus cum principibus, quod ex Justino XX, 2. colligo, qui expugnata Siri Crotoniensem civitatem seditionibus vexatam esse tradit; captum enim agrum Siriticum, quem in Crotoniatarum potestatem venisse jam approbavit Heynius, Opusc. II. p. 185. not., sortibus dividi haud dubie flagitaverat plebs, contradicentibus tamen optimatibus [1]). Hac interna dissensione districtas invenit Pythagoras cum ceteras Italiae civitates tum Crotonem [2]). De Crotoniatis refert Apollonius haec: Οὐ μὴν ἀλλὰ μέχρι μὲν οὖν τὴν ὑπάρχουσαν χώραν ἐκέκτηντο, καὶ Πυθαγόρας ἐπεδήμει, διέμενεν ἡ μετὰ τὸν συνοικισμὸν κεχρονισμένη κατά-

1) Simile plebis cum optimatibus dissensionis exemplum reperitur, quum Bruttii Crotonem oppugnarent. Liv. XXII, 2.

2) Hunc turbatum civitatum Magnae Graeciae statum egregie perspexit Heerenius, Vir Clariss. (*Ideen über die Politik u. s. w.* Tom. III, 1. p. 429 sqq.), haud possum tamen, quin dissentiam ab ejus expositione, ex qua Pythagoras a civitatum mutatione ad culturam animi, corrupta temporis indole coactus, transvertit consilium. Pari modo discedendum est mihi a Wendtii, Viri Praestantissimi, sententia, qui praecedente ex parte Rittero (Histor. philos. Pythag. p. 37 seqq.) Platonis (de Republ. X. p. 600.) et Ciceronis (de Orat. III, 15.) testimoniis, rationibus inprimis ex Pythagorica arcessitis philosophia monitus, Samium non politica, sed mere moralia instituta *molitum*, his autem illa subjecta fuisse putavit (Cf. elegantem censuram libr. Ritter. in Annal. Berol. 1828. m. Aug. p. 313 et novam Tennemannianae hist. phil. editionem T. I. p. 91.). Velim haec mea expositio et ratio, qua ejus argumenta accurate ponderata ad firmandam meam sententiam in usum vocavi, Viro haud displiceant.

στασις, δυσαρεστουμένη, καὶ ζητοῦσα καιρὸν εὕρασθαι μεταβολῆς. ap. Jambl. §. 255. Sensim igitur displicuit civitatis ratio; vox enim δυσαρ. satis demonstrat odium serpens in aristocratiam, quod ne erumperet, prohibuerat Pythagorae auctoritas. Et quis alius erat Cylon, qui postea extitit, quam alter Telys, nequissimus aristocratiae depulsor, vanus democratiae promissor. Clare vero tradit Aristoxenus de interno morbo, qui invaserat civitates, a Pythagora sublato: τυραννίδας δὲ καταλύων, ait, καὶ πολιτείας συγκεχυμένας διατάττων, ἐλευθερίαν τε ἀπὸ δουλείας ταῖς πόλεσι παραδιδούς· καὶ τὴν παρανομίαν παύων, ὕβριν τε καταλύων, καὶ τοὺς ὑβριστὰς καὶ τυραννικοὺς κολούων· ap. Jambl. §. 214. (Eandem rem suo modo consarcinatam legesis ap. Nicomach. a Porphyr. §. 21. et Jambl. §. 33. exscriptam). Porro idem Aristoxenus de Pythagora refert: Ἀνεῖλε δ' ἄρδην στάσιν, οὐ μόνον ἀπὸ τῶν γνωρίμων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπογόνων αὐτῶν ἄχρι πολλῶν γενεῶν, καὶ καθόλου ἀπὸ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ τε καὶ Σικελίᾳ πόλεων πασῶν, πρός τε ἑαυτὰς, καὶ πρὸς ἀλλήλας. πυκνὸν γὰρ ἦν πρὸς ἅπαντας αὐτῷ πολλοὺς καὶ ὀλίγους τόδε τὸ ἀπόφθεγμα· φυγαδευτέον πάσῃ μηχανῇ, καὶ περικοπτέον πυρὶ καὶ σιδήρῳ καὶ μηχαναῖς παντοίαις ἀπὸ μὲν σώματος νόσον, ἀπὸ δὲ ψυχῆς ἀμαθίαν, κοιλίας δὲ πολυτέλειαν, πόλεως δὲ στάσιν, οἴκου δὲ διχοφροσύνην, ὁμοῦ δὲ πάντων ἀμετρίαν. ap. Porph. 21. Jambl. §. 34. cf. §. 171. (Mahne de Aristox. p. 44.). Verum enim vero priusquam populus ad rebellandum excitatur, domestico robore, opulentia, prospera fortuna, quae comites habent luxum et proterviam, florere necesse est. Magna Graecia, quia omnibus liberaliter patefecit aditum, abundabat incredibili paene incolarum copia. Mercatura cum terris exteris florentissima, soli fertilitate aucta, indeque enascentes divitiae et opes [1]) voluptatem, luxuriam et delicias procreabant, quae mores emollirent, effeminarent et stantem rempublicam concuterent. Hoc malum, uti diximus, omnibus majoribus Italiae civitatibus proprium erat, inprimis vero Tarento et Sybari, hinc ταραντίζειν ap. Steph. Byz. s. v. Τάρας. vid. Aelian. Var. Hist. XII, 29. συβαρίζειν. Archyt. ap. Stob. Floril. Tom. II. p. 170. ed. Gaisford. Aristoph. ap. Athen. XII. p. 527. C. Polyb. ap. Athen. XII. p. 528. A. B. Philostr. Vit. Apollon. IV. c. 19. VI, 21. Perizon. ad Aelian. I, 19.

---

1) Polybius narrat non aliam ob causam, ut omnium opinio fit, ingentes opes consecutos esse Crotoniatas, quam loci opportunitate. Polyb. X, 1.

Heyn. Opusc. II. p. 225 et 129. Quamquam scriptores multa narraverint, quae fidem superant, Timaeus potissimum ap. Athen. XII., hoc tamen certum est, ingruentem luxum omnium rixarum causam fuisse. Quid perdidit Sybaritarum civitatem? nihil aliud quam nimiae deliciae indeque exorta mollities. Heraclid. Pontic. ap. Athen. XII. p. 526. A. Scymn. Ch. v. 342 sqq. Diod. Sic. Exc. Vales. p. 550. et Exc. Vatican. p. 10. ed. Mai. Dio Chrys. Orat. XXXIII. p. 401. ed. Mor. Aelian. V. H. I, 19. Sed dum hi populi voluptati deditissimi erant, aliud accidit Crotone. Expugnata Siri Crotoniatae belli gerendi studiosi, indignantes, auxilium contra se a Locrensibus latum esse in oppugnatione urbis, bellum his intulerunt. Locrenses pavore metuque perculsi ad Spartanos confugiunt, auxilium ab iis petentes. Qui vero longa militia gravati a Castore et Polluce id petere eos jubent. Cf. Diod. Exc. Vat. p. 13. ed. Mai. Justin. XX, 2. Suid. s. v. ἀληθέστερα. Crotoniatae contra, his cognitis, Apollinis oraculum adeunt, victoriam precantes; respondebat, prius votis hostes, quam armis vincendos. Quum decimas praedae Apollini vovissent, Locrenses nonas voverunt, et tacite quidem, ne votis vincerentur. Crotoniatae cum centum triginta millibus (Strab. VI. p. 261.) vel centum viginti millibus militum (Justin. XX, 3.), Locrenses a Rheginis adjuti cum quindecim vel decem tantum millibus (Justin., Strab. l. l.) in aciem procedunt. Hi paucitatem suam circumspicientes, refert Justinus, omissa spe victoriae, in destinatam mortem conspirant. Quae desperatio tantopere occupavit singulorum animos, ut paene ad internecionem usque immensus Crotoniatarum exercitus redigeretur. Haec est infelicissima pugna ad fluvium Sagram pugnata, qua insanabile vulnus civitati inflictum est [1]). Paulo prolixius, quam par est, enarravimus hoc bellum, verum id agimus, ut animum lectoris praeparemus ad memorabile tempus, quod nunc insequitur, penitius perspiciendum.

Incredibile est, quantam insperatus pugnae exitus in Crotoniatas habuerit vim. Trogi epitomator, quem in his unicum sequendum

1) Quo tempore haec pugna acciderit, nemo scriptorum notavit, eam tamen ante Pythagorae adventum factam esse, ex Strab. et Just. apparet. Quocirca prorsus assentior Heynio, Viro Immortali, ad Ol. LV. eam referenti. Opusc. II. p. 184 et 85. cf. p. 55.; cui fortasse id etiam favet, quod post Ol. LV. usque ad LVIII. nemo Olympionicarum invenitur. Vid. antea. Crotoniatae enim ab eo inde tempore prorsus abstinuisse dicuntur ab armorum cura. Cf. Justin. XX, 4.

duxi, optime nobis depinxit miserum civitatis statum. XX, 4. Dubitare quidem videtur Heynius (Op. II. p. 186.), utrum Justini verba ad tempora excisae Sybaris, an amissi proelii ad Sagram pertineant. Enimvero rerum Crotoniensium historia et inclytum Dicaearchi fragmentum (ap. Porph. §. 18. 19. et ap. Jamblich. 37 — 57.) omnem dubitationem dispellit. Necesse est Justini locum hic apponere: "Post haec (post amissum proelium) Crotoniensibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim, quae infeliciter sumserant, mutassentque vitam luxuria, ni Pythagoras philosophus fuisset." Et paulo post de Pythagora ex itineribus reduce tradit, Crotonem eum venisse, populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis revocasse. *ibid.* Simulac pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia in imperium invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Hic erat status civitatum Italicarum. Ne cives a communi, quae omnes manet, pernicie abriperentur, magno viro opus erat, qui plebis cum principibus contentiones et rixas dispelleret, pullulantem vitiorum fontem funditus eradicaret, mores emendaret, reformaret. Magnus hic vir, civitatum sospitator, Pythagoras erat. Qui quum accederet ad Italiam ejusque descriptum statum inveniret, fieri aliter non potuit, quam ut sibi eligeret locum commodissimum, in quo et ex quo consilium suum exsequeretur ac ceteras immutatas Italiae urbes sanaret dirigeretque. Cur Crotonem ceteris antehabuerit, ratio ex loci salubritate, veteri rei athleticae gloria, Olympionicis celebrata, inprimis autem ex moribus, si cum aliarum urbium eos comparaveris, nondum tantopere corruptis, haud dubie petenda est. Dicaearchus ap. Porph. §. 18 — 20. ap. Jambl 37 — 57. (Cyrill. in Jul. VI. p. 209. A.), quocum consentit Justinus XX, 4., tradit, Pythagoram Crotonem accedentem, quum vultu esset liberali, corpore procero, plurimumque gratiae et decoris cum moribus tum cetero corporis habitui inesset [1]) (Dicaearch. ap. Porph. §. 18.), illico publice prodiisse, et ad veterem h. e. Doricam σωφροσύνην, omnium virtutum procreatricem, cives revocare studuisse (Diod. Exc. Vales. p. 554.), ideo ad quarumlibet aetatum, ordinum et sexus homines verba fecisse; primum in gymnasio coram juvenibus orationes habuisse de pietate

---

1) Apulejus dicit Pythagoram sui saeculi excellentissima forma fuisse, de Magia, Oper. p. 7. ed. Bip. cf. Diodor. Exc. Vales. l. supra l. Diog. L. VIII, 11. Jambl. §. 36. et Tzetz. Chil. XI, 71.

erga parentes et beneficos, de mutua conversandi ratione, de temperantia inprimis de corporis animique cultura; atque his peractis a senatu jussum esse, quidquid Crotoniatis utile haberet apud reipublicae moderatores proferre. Cui adhortationi satisfecit; suasit iis, ut Musarum templum tamquam concordiae antistitem exstruerent, ut rempublicam communis depositi instar a civibus ipsis traditam, conservarent nec ignavia profligarent, potius ita eam regerent gubernarentque, ut depositi fidem haereditariam quasi posteris relinquere possent; monuit, ut justitiam exercerent nec in jurejurando deorum nomine abuterentur, paucis, quanta in virtute dignitas, quanta in vitiis sit turpitudo, docuit. Eadem ratione, jubente magistratu, ad pueros et matronas adhortationes fecit; quibus omnibus consecutus est, ut templum Musis erigerent, dimitterent suas pellices civitatis primores, et matronae auratas vestes, ceteraque dignitatis suae ornamenta velut instrumenta luxuriae in Junonis Laciniae templum delata ipsi deae consecrarent. Dicaearch. ap. Jamblich. §. 50. vid. §. 132 et 195. Apollon. ap. Jambl. 264. Justin. l. l. cf. Diod. Exc. Vales. p. 554. [1]). Per se intelligitur, hoc tempore, quo ab interitu servavit civitatem, summum nactum esse honorem et auctoritatem Pythagoram. Aristoteles asseverat, Crotoniatas tanto honore excepisse philosophum, ut eum Apollinem Hyperboreum compellaverint [2]) (ap. Aelian. V. H. II, 26. cf. Dicaearch. ap. Jambl. §. 53. Dio Chrysost. Orat. XLVII. p. 524. ed. Mor.). Auctoritate igitur sua continebat rempublicam, hac enim opus erat ad perficiendum id, quod re vera perfecit. Tantum aberat, ut republica in integrum restituta, populi partibus se addiceret ejusque insolentem potentiam adversus optimates defenderet, ut his se adjungeret, eorumque labefactata jura contra demagogos et tyrannos renovaret et fulci-

---

1) Ad hoc temporis momentum referendum est Porphyrii fragmentum, quod nuper eruit Majus (Schol. ant. in Homeri Od. p. 9. vid. Add. p. 562. Buttmann.), in quo proditum est, Pythagoram liberis, juvenibus et matronis convenientes orationes habuisse.

2) Cogita tibi Apollinem, ut humanum genus maculis adspersum et degeneratum ad bonam frugem reducat, ab Hyperboreis venientem, et hoc cognomine nihil dulcius, nihil quod Pythagorae advenienti aptius conveniat, confiteberis. Eodem sensu accipias velim verba Aeliani: *Ἐπιστρεφομένου δὲ τὰς πόλεις αὐτοῦ, διέῤῥει λόγος, ὅτι Πυθαγόρας ἀφίκετο οὐ διδάξων, ἀλλ᾽ ἰατρεύσων.* Ael. Var. H. IV. c. 17. quibus, si cum Menagio ad Diog. L. VIII, 12. ad Pythagoram medicum ea transferas, omnem elegantiam adimis.

ret. Hac via fundamentum jactum est societatis ab ipso conditae. Hac, dico, via, nam civitatum qualem depinximus status in philosophi adventu admonet nos, a perversa, ne dicam absurda eorum opinione recedamus, qui Pythagoram *rem imaginariam et tanquam in somno exputatam* assequi voluisse existimaverint. Orationibus ad Crotoniatas habitis, concludit Dicaearchus ap. Porphyr. §. 19. ap. Jamblich. 57., tanto studio philosophum prosequebantur Crotonis et ad quos percrebuit Pythagorae fama, finitimarum civitatum juvenes, ut in ejus consortium venirent et separatam societatem coirent. Hac expositione, optimis scriptoribus stabilita, apparere credo, quomodo initio se gesserit Pythagoras in Crotoniatarum civitate, quibusque auspiciis condiderit societatem. Corrupta igitur erat civitatis indoles, certabat populus cum optimatibus. — Pervenimus nunc ad momentum illud exoptatissimum, quó nostrum est, societatis Pythagoricae historiam, adhuc praeparatam et inchoatam, ita illustrare, ut scopus, quem condenda schola non solum assequendum sibi proposuit Pythagoras, sed re vera assecutus est, quantum fieri potest exacte et dilucide pateat. Circumspicientibus nobis optimam inquirendi rationem, simúlque perlustrantibus rerum pertractandarum copiam uberrimam, convenientissimum visum est, primum disserere de sodalitii institutis, tum de Pythagorae philosophia ejusque summo principio, quatenus cohaereat cum externa discipulorum vita, denique de ratione, quae societati cum Crotone et ceteris Italiae civitatibus intercesserit, simul de exstirpatione collegiorum, Crotonis maxime respectu habito.

III.

Si ulla in re Pythagorica necesse est excutere et discernere tempora, quibus genuina Pythagorae secta vixerit, in ea certe parte, qua de sodalitii institutione agitur, quammaxime expostulatur. Quemadmodum enim Orpheus ab Orphicis, Homerus ab Homeridis, Hesiodus ab insequente Boeotiorum poetarum schola probe distinguendi sunt, sic Pythagoras a Pythagoreis ac Pythagoristis. In tota Pythagoricae philosophiae historia quatuor aetates bene sunt separandae, quarum prima complectitur priscos et genuinos Pythagorae alumnos et societatis sodales, vulgo sed haud constanter Pythagoricorum nomine

insignitos, secunda eos Pythagoricos, qui sublatis collegiis cum Orphicorum disciplina conjungebantur, eorumque discipulos, tertia Platonis aequales et aemulatores, quarta denique serioris aetatis Pythagoreos cum Platonicis in unum conglobatos. Cum philosophia mutata etiam vivendi rationem sectatorum mutari, probant Socraticorum scholae. Sed apud Pythagoreos hoc in majus auctum est. Quaecunque enim seu dogmata sive vitae praecepta a sociis, alteri sectae addictis, tradebantur, ea sic in usum converterunt, et sub nomine suo propagarunt Pythagorei, ut nativus Pythagorismi nitor prorsus praestringeretur. Ab Aristoxeno ad ultimos usque vitarum scriptores repetentes plus minusve cujusque Pythagoreae sectae conturbationem invenimus apertissimam, cujus in eo potissimum causa est, quod qui primi Pythagorae ejusque discipulorum vitam describere instituerunt, non libris scriptis innixi, sed tantum cum ex fama, tum sui temporis Pythagoricae philosophiae addictorum ore excipiebant. Sic Aristoxenus ipse permulta a patre Spintharo, inprimis ab amicis suis, Xenophilo (quem praeceptorem habebat, cf. Suid. s. v. Ἀριστόξ. Eudociae Viol. p. 72. Vill.), Phantone et Echecrate Pythagoreis accepta, non Pythagorae, sed Platonis aequalibus propria, operi suo inseruisse videtur, cf. Mahnium de Aristox. p. 26. qui tamen non omnia recte explanavit. Ceteri seriores scriptores, nullo instituto examine, de manu in manum tradita sic adhibebant, ut quaecunque inaudita et incredibilia ferebantur, de quibus ne somniavit quidem Pythagoras, tamquam praeclara et exquisita cumularent. Nos vero, qui ad severiorem crisin Pythagorae instituta revocare nobis proposuimus, difficilem longamque haud fastidientes disquisitionem, quid Pythagorae priscisque Pythagoricis tribuendum sit, expiscari conabimur.

Jam in introitu retrospiciamus necesse est Dicaearchi fragmentum, quo usi sumus sub finem partis antecedentis (ap. Porph. §. 19.). Narraverat historicus, quum Pythagorae adeo magna percrebuisset fama per Italiam, multos cum viros tum feminas, qui disciplinae ejus sese adjungerent, accepisse. Quo testimonio probare volumus, philosophum jam habuisse discipulorum numerum, antequam in eos, qui recipiendi essent, probationum genera extenderet. Per se vero intelligitur, Pythagoram non quemvis se offerentem hominem initio suscepisse, sed eundem observasse eligendi rejiciendique morem, quem postea adhibuit. Quod ea de causa monemus, quia scriptores, quum Pythagoricam cooptandi rationem describunt, non id tempus respicere possunt, quo

condidit Pythagoras societatem, sed quo praesentibus jam discipulis novi in consortium recipi voluerunt. Quam absurdum enim esset contendere, philosophum in fundanda societate, unumquemque, aut si vis, plures simul trecenorum tradito more explorasse! quam longa annorum serie opus habuisset! Nemo igitur, credo, in dubitationem vocabit, quod ex ipsa re efficitur. Jam ad ipsam cooptationem progrediamur. Simulatque adolescens in consortium venire vellet, fecit Pythagoras id, quod secretioris disciplinae indoli convenientissimum est; explorabat antea, num dignus esset, quem reciperet. Non enim ex omni ligno, dixisse fertur philosophus, debet Mercurius exsculpi. Apulej. de Mag. Op. p. 48. ed. Bip. Referunt antiquus scriptor ap. Jambl. §. 71. et Taurus ap. Gell. I, 9, 2. qui in amicorum numero haberi voluissent [1]) adolescentes, antea φυσιογνωμονῆσαι Pythagoram, quod bene interpretatur Gell. l. l. sic, ut sit: mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. Igitur ex nativis oris lineamentis, optimo interni animi indicio, et ex cetero corporis habitu ingenium moresque juvenis eliciebat; inquirebat prius, quomodo sese gereret in parentes et domesticos, quibus familiaribus et quomodo uteretur. Omittunt vero scriptores in his narrationibus, quae omittere non debebant, eum tantum juvenem ad probationem admissum esse, qui clara, h. e. optimatium familia natus fuerat. (De his sub finem uberius disputabimus). Hac mores hominum penitus pernoscendi peritia effecit Pythagoras, ut durum, violentum, seditiosum et tyrannicum Cylonis ingenium statim perspiceret, eumque ob has causas repelleret. Aristox. ap. Porphyr. §. 54. ap. Jambl. §. 248. Dum exploratus hoc modo idoneusque fuerat, propria διαπεῖρα incepit. Audiebat nunc quae a discipulis dicebantur [2]). Interea observabat praeceptor, num quae audierat juvenis et didicerat, animo custodire et silentio cohibere posset (ἐχεμυθία,

---

1) Si Pythagorae societatem non juvenum ad addiscendam philosophiam modo congregatorum coetum putasset Taurus ap. Gell. I, 9, 2., quod putasse ex Gellio apparet, sed rejectis aliorum fabulis, quas rursus decantat, aliam quaerendi viam iniisset, certe non dixisset: "adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant." De Aristotelica explorandi recipiendique ratione vid. Gellium XX, 5.

2) Haud improbabile mihi videtur, Pythagorae discipulos de probandis recipiendisque iis, qui cooptationem ambirent, cum praeceptore egisse, vel eos tamen, qui aetate provectiores et longiore disciplina usi erant.

ἐχεμυθεῖν); majorem enim in tacendo quam in loquendo locabat curam, dicit Aristox. ap. Jamblich. §. 94. cf. §. 188. Tzetz. Chil. VII, 155. 56. et saepius. Porro inter hoc silentii tempus considerabat adolescentis naturam, utrum animo esset facili, concinno, omnium cupiditatum experti, ad amicitiam servandam propenso, an ad contentionem proclivi et ambitioso. Denique his probatis, inspiciebat docilitatem et memoriam, primum, an celeriter et clare dicta comprehenderet, tum quo studio et qua temperantia quae tradita erant amplecteretur. Aristox. l. l. Haec erat discipulorum probatio, cui si satisfecissent novitii, statim in societatem eos adscribi jubebat, sin minus, ut ineptos et steriles procul arcebat. Hucusque Aristox. ap. Jambl. §. 94. 95. Quaerentibus nobis, quot annis definita fuerit haec probatio, haud rejiciendum visum est Tauri testimonium, quo non omnes idem, sed alii aliud tempus, pro aestimato captu solertiae, non minus tamen quam biennium tacuerint. ap. Gell. I, 9, 3 et 4. Verum enim vero omnes reliqui scriptores, sed infimae notae (quos suo modo convocavit Schefferus de nat. et constit. Phil. Ital. cap. 12.), multo aliam probandi rationem memoriae consignaverunt, quam hic respicere quibusdam de causis consultissimum puto. Narrant Pythagoram triennio adolescentem exploratum contemni jussisse, ut constantiam ejus sincerumque discendi studium honorisque despectum experiretur, post haec tandem quinquennale silentium ipsi indixisse, et quod maximum, per totum hoc tempus obducto velo ab adspectu eum arcuisse. Quam dissimilis haec narratio! qua quum nihil apud seriores scriptores vulgatius, nihil ad veritatem levius reperiatur, vel nostra aetate hic illic propagata est. Sed quid est, cur illam improbemus? Convaluit opinio recentioris antiquitatis superstitione firmata, Pythagorae instituta, propter arcani speciem, non solum mysteriis simillima, sed ipsa mystica et arcana fuisse, quod commentum eo usque crevit, ut quae in mysteriis deprehenduntur, ea omnia in Pythagoricum sodalitium translata sint. Nota erant initiationum genera in mysteriis usitata, pervulgatum porro sacrum quinquennale silentium (μυστικὴ σιωπή), quo linguam continerent, et percepta cognitaque intra conscientiam retinerent homines. Haec mysteriorum sacra quum quandam similitudinem prae se ferrent cum Pythagorae probatione, turpissime in ipsum Pythagoram transversa esse evidentissime prodit Diogenes, ut videtur, ap. Jamblich. §. 72. Idem valet de sindone illo obducto. Ne qua profanis paterent mysteriorum opertanea, velis (παραπετάσματα) circumdata

erant, quibus reductis adspectus sacrarii (ἀνάκτορον) et sacrarum imaginum tamquam epoptiae summa initiatis patebat (cf. Lobeckium, de his eleganter disputantem in Aglaoph. Tom. I. p. 67 et 59.). Quid mirum quod Pythagorae mysteria iisdem velis obducta finxerunt putidi scriptores et pro re explorata posteris tradiderunt! Silentio praetermitto, ne lectores defatigem, alias narrationes de castigationibus ac sufflaminibus, quae novitiis igne ferroque peragenda erant, ap. Jambl. §. 68. Hoc igitur certum et exploratum manet, Pythagoram in probandis discipulis nihil aliud spectasse, quam generosum, tractabilem, a cupiditatibus vacuum, et ad amicitiam conciliandam conservandamque propensum animum experiri, porro silentium iis injectum, verissimam Doricae naturae imaginem, ad explodendam anilem loquacitatem et garrulitatem, et ad praeparationem eorum addiscendorum, quae per totam vitam altissime menti infixa remanerent, pertinuisse.

Idem scriptor, cujus modo narrationem de Pythagoricis mysteriis refutavimus, pergit (ap. Jambl. §. 73.), intra quinquennale silentium juvenes quidquid pecuniae habuerint in medium contulisse, rejectos vero collatae pecuniae duplum recepisse (idem ap. Jambl. §. 168.), iisque tamquam mortuis monumentum sepulcrale a Pythagoricis exstructum esse (idem narrat Nicomach. ap. Jambl. §. 252. cf. 246. et Origin c. Cels. II, 12.). Ut ab ultimo ordiamur, equidem de hujus narrationis veritate vel maxime dubito, *veterum* enim scriptorum nemo est, qui mysticum hunc morem verbo tantum tangat. Aristoxenus, qui in dubiis rebus rectam nobis viam monstrare solet, refert potius, Pythagoram, quum deprehenderet ἀνάρμοστον, hunc ut ἀλλόφυλον et ὀθνεῖον rejecisse, ap. Jambl. §. 95. neque in historia repulsi Cylonis illud cenotaphium, quod respicit Diogenes ap. Jambl. §. 74., a Peripatetico memoratur, ap. Porph. 54 et Jambl. §. 248. Hoc gravissimi scriptoris silentium, quod certe non obtinuisset, si rem audivisset, haud immerito totam narrationem in suspicionem vocat, quae eo inprimis augetur, quod Diogenes adhibitis Hipparchi Perialique Thurii Pythagoreorum exemplis historiam confirmare studet. ap. Jambl. 75. 73. 246. Hipparchus nempe, quum primus Pythagorica dogmata evulgaverit (ipsam hanc fabulam nunc tacitam relinquo), tantopere in odium incurrisse dicitur apud Pythagoricos, ut eum ex sodalitio ejicerent et ejecto tamquam mortuo cippum ponerent (adde Clem. Alex. Strom. V. p. 574. D. Sylb.). Exprobrationes in hunc

hominem turpissimum continet epistola Lysidi subjecta ap. Jamblich. 75 — 79. Sed quo tandem modo fieri poterat, ut Hipparchum, Lysidis aequalem et amicum, ex societate depellerent! Lysis, Epaminondae praeceptor, saltem ante Ol. LXXVII. nondum natus erat (de hoc vid. sub finem), quo tempore jam dudum Pythagoricorum collegia conflagrata nec ulli discipulorum consociandi se in animum venire poterat consilium? Ex quanam igitur societate expulsus est Hipparchus? Sed quid dicam de Periali Thurii cippo? quum Thuriorum urbs Ol. LXXXIV, 2. demum fundata sit (cf. Clinton. Fast. Hell. tab. 443. in Append. p. 388.). Videtis, quam longe grassata sit veterum in fingendo licentia, quam etiam, si aperte dicam, in illa fabula de Pythagoricis cenotaphiis notare velim. Sed alia multo gravior existit quaestio de communione bonorum, cujus antea mentionem fecimus. Ab antiquis usque ad nostra tempora obtinuit opinio, Pythagorae societatem ita fuisse comparatam, ut sodales omnem pecuniam in communionem conferrent, tamquam firmissimum quo constringerentur amicitiae vinculum. Miror viros praestantissimos huic vulgari rumusculo tam diu faciles aures praebuisse, quum, nisi ex aliis indiciis contrarium appareret, ipsum Pythagorae consilium id demonstraret.

Periculum nunc faciamus, omnia hunc finem spectantia quam fieri potest evidentissime explanare. Primum optimi scriptores, quorum de vita Pythagorae extant fragmenta, Aristoxenus, Dicaearchus, de communione bonorum ne verbum quidem dicunt, potius meliora nos edocent. A Ptolemaeorum demum tempore ad ultimos, quos novimus, scriptores vulgo fovetur illa sententia. Ratio in eo est quaerenda, quod posteri Pythagoricis symbolis, utpote genuinis Pythagorae praeceptis inhaerentes, praeposteram saepe supponebant interpretationem, cujus haud scio an insignius reperiri possit exemplum, quam illud in tritissimo proverbio: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων*. In hoc latet inveteratus error. Pythagoras hoc praecepto ad mutuam benevolentiam in alterum pari virtute praeditum conferendam, ut unus fiat ex pluribus, exhortari voluit [1]). Aristot. Ethic. IX, 8. (quas profert h. l. *πὰροιμίας*, Pythagoricas puto). Cic. de Legg. I, 12.

1) Notum est, idem pulchrum praeceptum proposuisse, et re ipsa praestitisse Cynicorum scholam: *πάντα τῶν σοφῶν εἶναι*, dicebant, *πάντα τῶν θεῶν ἔστι· φίλοι δὲ τοῖς σοφοῖς οἱ θεοί· κοινὰ δὲ τὰ τῶν φίλων· πάντα ἄρα τῶν σοφῶν*. cf. Diogen. Laërt. VI, 72.

Off. I, 17. Diog. ap. Porphyr. §. 33. cf. Interpprett. ad Lael. 4. §. 9. Ast. ad Plat. Phaedr. fin. Illi vero in eo aliud inesse opinati sunt. Diog. Laert. VIII, 10. refert, Timaeo auctore Pythagoram primum dixisse, amicorum omnia esse communia, et amicitiam, aequalitatem. Zenob. Cent. IV, 79. tradit, Timaeum id proverbium memorasse: ὅτι προσιόντας Πυθαγόρᾳ μαθητὰς περὶ τὴν Ἰταλίαν, ἔπειθεν ὁ φιλόσοφος κοινὰς τὰς οὐσίας ποιεῖσθαι· ὅθεν εἰς παροιμίαν ἡ συμβουλὴ τοῦ Πυθαγόρου ἦλθεν. Et Photii Lexic. (s. v. κοινὰ τ. τ. φ.): Τίμαιός φησιν ἐν τῷ θ', ταύτην λεχθῆναι κατὰ τὴν μεγάλην Ἑλλάδα, καθ' οὓς χρόνους Πυθαγόρας ἀνέπειθεν τοὺς ταύτην ἐνοικοῦντας ἀδιανέμητα κεκτῆσθαι (vid. Timaei fragm. XV. p. 218. ed. Goell.). Sed Colophonem, ut ita dicam, addit Schol. ad Plat. Phaedr. p. 319. Bekk. (p. 68. ed. Ruhnken.): φῆσι γοῦν ὁ Τίμαιος ἐν τῇ ε' οὕτω· "προσιόντων δ' οὖν αὐτῷ (Pythagorae) τῶν νεωτέρων καὶ βουλομένων συνδιατρίβειν οὐκ εὐθὺς συνεχώρησεν, ἀλλ' ἔφη δεῖν καὶ τὰς οὐσίας κοινὰς εἶναι τῶν ἐντυγχανόντων" εἶτα μετὰ πολλὰ φῆσι "καὶ δι' ἐκείνους πρῶτον ῥηθῆναι κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὅτι κοινὰ τὰ τῶν φίλων" 1). Ex his apertissime elucet, sicut Pythagoram primum hujus symboli inventorem, ita Timaeum primum falsae interpretationis auctorem et ducem fuisse. Timaeum hunc Tauromenitam rerum Sicularum etc. scriptorem intelligo, cujus dementiam, imperitiam, ruditatem, praesertim in rebus Italicis describendis negligentiam, adeo rursus notavit Polybius, ut nostro crimine haud indignum se gesserit. cf. Polybii Exc. Vatic. lib. XII, 3. 4. p. 381 — 383. ed. Mai. Etiam id haud omittendum censeo, quod in multis serioris aetatis fragmentis ista bonorum communio semper cum ancipite illo proverbio conjuncta memoratur. cf. Jamblich. §. 32. 72. 92. 168. Ex quo nemo non summo jure concludere potest, recentiores scriptores praepostera Timaei explicatione inductos ex eodem symbolo rem deduxisse et pro confessa edixisse.

Enimvero scriptores fide digni contrarium edocent. Simulac sodalium nonnulli facultatibus exciderant, bona sua velut cum fratribus dividebant Pythagorici; quem morem non solum apud amicos diuturno convictu constrictos, sed etiam apud omnes, qui Pythagoreos se profitebantur, observarunt. Sic Clinias Tarentinus Proro Cyrenaeo, quem nunquam viderat, patrimonii jacturam factam cum

1) Omisit hunc locum Goellerus l. l.

grandi pecuniae vi resarcivit, Aristox. ap. Jambl. §. 239. cf. Diod. in Exc. Vales. p. 554. Quo vero falsae opinionis defensores nituntur, inprimis illud est de Pythagoricorum coenis, de quo, quum ab hoc loco alienum sit, postea agemus.

Revertamur unde egressi sumus. Satis demonstratum est, quae de collatis omnibus bonis et collatorum recepto duplo prodita sint, ea commenticia esse. Quum vitarum scriptores enarrata Pythagorae δοκιμασίᾳ, quid ille de discipulorum classibus constituerit, annectere soleant, meum nunc est, etiam hanc nostrae historiae partem antea pertractare. Clamitant omnes serioris aetatis scriptores, Pythagoram distribuisse discipulos nondum receptos in acusticos, etiam acusmaticos vel exotericos dictos, receptos vero et societati adscriptos in mathematicos, esotericos vel theoreticos (physicos), politicos, nomotheticos, et sebasticos, cetera ut omittam cognomina (quae legesis ap. Scheffer. de philos. Italica c. 11. p. 98. qui tamen ut assolet omnia disturbavit). Fide dignissimi scriptores talem descriptionem silentio prorsus transeunt. Reputandum enim, recentiores in his omnibus non ea, quibus vixit Pythagoras, sed quae eum insecuta sunt tempora utpote illis notiora, saepissime confudisse; scilicet deleta societate ceterisque, qui fuga vitam servaverant, dissipatis, varia Pythagoreorum studia, quae vivente praeceptore in unum conflata erant, nunc dissecta ac dissipata tractabantur, ita ut alii reipublicae gerendae, legibus ferendis et colligendis, alii philosophiae excolendae operam navarent. Ita factum est, ut singulis institutionum partibus singulos discipulorum ordines instituerent posteri. Veruntamen hoc certum et clandestini consortii indoli congruens est, duplex sociorum genus distinxisse Pythagoram, alterum recipiendorum, initiatorum alterum, Aristox. ap. Jambl. §. 95.; quibus vero nominibus utrumque compellaverit, definiri nequit. — Absoluta prima parte, quae in probandis recipiendisque discipulis versabatur, tempus est, juvenem rite exploratum in societatem deducere, eumque in numerum Pythagorae disciplina dignissimorum referre. Noli vero exspectare, Pythagoram ad summum societatis scopum statim admisisse juvenem intrantem. Ab hoc demum tempore coepit praeceptor discipuli animum et mentem suo modo conformare, instituere et excolere, donec perfectum et sapientem ad ultimam disciplinam percipiendam abduceret. Interrogamus nunc, quae fuerit instituendi ratio et quomodo peracta? Ante omnia animadvertendum est, Pythagoram leges sodalitias praescripsisse, quibus quid quoquo die faciendum,

quid intermittendum propositum erat. Sunt illi νόμοι ap. Aristox. (ap. Jamblich. 95. 97.), quos ut divina praecepta (θείας ὑποθήκας ap. Porphyr. §. 20. ap. Jambl. §. 30.) symbolis depositos discipuli observabant, praeter quos quidquam facere nefas erat. Ex his legibus dulcissimam et pulcherrimam diuturnae Pythagoricae vitae descriptionem servavit nobis Aristox. ap. Jambl. c. 21. §. 96—101., quam pluribus illustrare quaeque in illa desunt, addere in animo habemus. Mane ambulabant sodales, non ut sophistarum chorus apud Calliam in Platonis Protagora, sed soli in illis locis, quae solitudine, veneratione et amoenitate sese commendabant, ubi templa et luci erant. (Idem haud dubie ex Aristoxeno delibatum narrat Diogen. ap. Porphyr. §. 32.). Singularis hujus moris, sed Pythagoricorum vitae convenientissimi causam idoneam affert Aristox. (ap. Jamblich. §. 96.); putabant enim, ait, cum nemine conversandum esse, priusquam animum suum bene constitutum apteque concinnatum haberent, huic mentis constitutioni loci solitudinem maxime prodesse; nam statim e lecto surgentes in turbam sese projicere, tumultuosum esse. Ambulatione matutina perfecta ad literarum, i. e. philosophiae studium persequendum moresque emendandos excolendosque invicem conveniebant, et quidem aeque atque antea in templis vel locis similibus. Post haec rei athleticae studebant, quae maxime eo conducebat, ut corpus exercerent, vires corroborarent, earumque justum aequilibrium consequerentur. Plerique unctione et cursu, pauciores lucta in hortis et nemoribus, nonnulli etiam halterobolia [1]) i. e. ponderum plumbeorum jactu et saltatione, quam dicunt, pantomimica utebantur. Prandium frugalissimum constabat ex pane et melle, aut favo; vini potus interdiu interdictus erat (idem narrat Aristox. ap. Diog. Laërt. VIII, 19. ap. Athen. II. c. 26. p. 46. F. ex Aristox. Diogenes ap. Porph. §. 34. vid. Lycum ap. Athen. X. c. 13. p. 418. E. et 419 A.). Sumto prandio totum pomeridianum tempus consumebant in tractandis politicis negotiis tam ad peregrinos quam ad hospites spectantibus, et quidem διὰ τὴν τῶν νόμων πρόσταξιν, ut addit Aristox. l. l. — quid in his verbis lateat, tum dicendum est, quum de politica societatis potestate disseremus —. Adveniente vespere rursus ambulationes instituebant, non soli, ut mane, sed bini ternive (idem Diog. ap. Porph. §. 32.), reminiscendo recognoscen-

1) Pro ἀρτηροβολίᾳ ἁλτηροβολίᾳ scribendum esse recte monet Schneider. in Lex. s. v.

tes quae didicerant inque studiis honestis sese exercentes. Ab hac ambulatione ad balnea se conferebant lotique inibant syssitia, in quibus non plures quam decem sodales una convivari debebant. Congregati convivae libationem et sacra odoramentis et thure faciebant, quibus peractis coenabant, vel sic tamen, ut ante solis occasum coena finiretur. Sumebant vinum, mazam, panem, opsonium, cocta crudaque olera (Diog. ap. Porph. §. 34.). Apponebatur etiam caro animalium, quae deo sacrificare fas erat. Marina opsonia propter quasdam causas ad victum haud apta raro comedebant (idem tradit Diog. Laërt. VIII, 19. ex Aristoxeno); pariter atque animal homini innoxium nec laedere, nec interficere, ut praeceperat Pythagoras, censebant. Post coenam fiebant libationes, tum lectiones. Verum in more positum erat, ut junior legeret, senior vero praeciperet, quid et quomodo legendum. Discessuris infundebat libamentum pocillator, seniorque praecepta dabat sodalitia. Omnibus his sollemniter perfectis domum suam quisque ibat. Ceterum utebantur candidis lineis vestibus, addit Aristotelicus, similiter substernebant stragula linea, lanea vero interdicta erant ut immunda (Jambl. §. 149. ex Aristox. adde Menag. ad Diog. Laërt. VIII, 19.) [1]. In hac Pythagoricae vitae diurnae descriptione, quamquam nondum absoluta, diligenter secuti sumus Aristoxenum, partim quia nemo scriptorum certum illum studiorum ordinem accuratius consignavit, partim vero, et quod maximum, quia ejus narrata ab aliis compilata, sed hic illic turpiter confusa, certissimis annumeranda sunt. Ex hac Aristoxeni narratione consortii ratio luculenter patet. Non morosa nec rigida erat sodalium vita, in quod nimis saepe inclinat seriorum sententia, sed quamvis certis legibus adstricta, jucunditatis tamen et familiaritatis plenissima. Nescio quo infelici casu factum sit, ut inveteraverit opinio, Pythagorae discipulos

---

1) Refert incertus scriptor ap. Diog. Laërt. VIII, 19. lanea stola et stragulis usum esse Pythagoram (quod etiam omnes seriores scriptores contendunt); quibus verbis addit de suo Diogenes (non ex Aristotele, ut Lobeckius in Aglaoph. Tom. I. p. 244. dicit), linearum vestium usum necdum ad illa loca penetrasse. Quod non credam. Diu enim ante Pythagoram lineorum vestitus in morem receptus erat. Veterum Spartanorum vestes erant linteae. Thuc. I, 6. cf. Wernsdorf. ad Himerium XI, 572. et Spartanorum, non Aegyptiorum more vestiti erant Pythagoras, Pythagorici et ipsa Theano. cf. Odofr. Mueller. Dor. II, 263 et 64.

monachorum instar totam vitam intra coenobii, quod dicunt, parietes degisse, qua nihil miserius tristiusque cogitandum est. Parva magnis comparari collibet. Qui recte de hoc sodalitio sentire vult, huic Spartanorum civitatis imaginem ante oculos ponamus. Quemadmodum enim in Doriensium civitate non umbratilem et austeram, sed liberam et generosam vivendi rationem admiramur, sic Pythagoricam vitam ad ejusdem Doricae civitatis exemplum efformatam et exactam agnoscamus necesse est. Haec comparatio ducit me ad retractandam et absolvendam quaestionem de refutata bonorum communione apud Pythagoricos.

Quodsi omnia, quae de hac a recentioribus scriptoribus ficta sunt, idoneis testimoniis redarguimus, quis fuerit modus convictus, merito quaeri potest. Aristoxeni verba rectam mihi respondendi viam monstrare videntur; dixit enim, Pythagoricos ad *syssitia* [1]) sese contulisse, in quibus non plures quam decem convivas una epulari debuissent. Haec syssitia in memoriam revocant sodalitatum apud Spartanos epulas, *Φειδίτια* vel rectius *Φιλίτια* dictas [2]), quibus quindenos viros interesse lege praescriptum erat. Cf. Plut. Lycurg. c. 12. Porphyr. de Abstinent. IV. p. 52, 11 seq. ed. Florent. Pythagoras autem ideo denos constituit, quod denarius numerus omnium numerorum absolutissimus et sanctissimus ipsi erat. Philol. ap. Stob. Ecl. Phys. I, 2, 3. p. 8. ap. Boeckh. p. 139. Arist. Metaph. I, 5; vid. postea. Porro quemadmodum Spartani quovis mense in medium dabant destinatas victus portiones (Plut. et Porphyr. l. l. cf. Odofr. Mueller. Dor. II. p. 202.), nec unquam perfecta bonorum communione fruebantur, sic ex mea quidem opinione certo tempore et praescripta ratione pecuniam contribuisse videntur Pythagorici, quam ut Spartanorum polemarchi, epularum quasi moderatores, societatis oeconomici procurarent. (Jambl. §. 72. 74. 89.). Progrediamur nunc ad ipsum victum. Ab He-

1) Eodem nomine notat Pythagoricorum coenam Strabo VI. p. 263. Aristoxeni verba ap. Jambl. §. 98. exscripsit Eustathius ad Iliad. B. p. 190. vers. 26. E. R.

2) *Τὰ γὰρ παρὰ Κρησὶν Ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις Φιλίτια, βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχεν, ὥσπερ (οἶμαι) καὶ τὸ ἐνθάδε Πρυτανεῖον καὶ Θεσμοθέσιον,* dicit Plut. Sympos. VII. Qu. IX. p. 714. B. quem sane gravissimum locum cur hic apposuerimus, causa neminem fugit, quid vero ex illo in Pythagoricorum syssitia ut politicum consessum colligamus, nunc non tempus est enunciandi.

raclide Pontico usque ad ultimos vitae scriptores disseminata est sententia, Pythagoram ejusque discipulos prorsus sese abstinuisse ab animalibus, ferarum enim esse carnem comedere (Clem. Paedag. II. p. 145. C. Sylb.). Infinitum testium numerum produceremus, nisi praevalida Aristoxeni auctoritas omnes detruderet. Hic Aristotelis auditor memoriae conservavit, Pythagoram *non interdixisse animalium esum*. Diserte hoc traditur ap. Athen. X. c. 13. p. 418. F. Diog. Laërt. VIII, 20. Gell. N. A. IV, 11. §. 1. 6. Praeter Aristoxenum idem de Pythagoricis scripsisse Aristotelem narrat Plut. in lib. de Homero ap. Gell. l. l. §. 11. sqq. Quomodo haec res, quam ipse Gellius inopinatam dicit, componenda est? Curatius Pythagorica instituta inquirenti non poterit dubium esse, quin quod Pythagoreorum cum Orphicorum disciplina inita societas praeceperit, bona fide ad Pythagorae leges sodalitias translatum sit. In universum autem hoc tenendum est, si de Orphicis praeceptis a Pythagora receptis sermo est, falsis principiis id niti, nec Pythagoram, quamdiu societas ejus duraverat, ullum quid cum Orpheo aut Orphicorum schola commune [1]) habuisse.

1) Dolet nos, quod pro proposita quaestione, qua historiam societatis a Pythagora Crotone conditae ad id tantum tempus, quo interiit, deducere debemus, disquisitionem illam de Pythagoricorum cum Orphicis conjunctione prorsus omittere coacti sumus. Veruntamen quum in nostra historia saepissime Orphica instituta respicienda sint, merito quisque quaerit, qui factum sit, ut Pythagorei Orphicorum scholae se adjungerent. Tempore incensorum collegiorum quum in profugos ultra modum a Cylonis factione saevitum, illis vero naturali quodam sociandi se studio agitatis similes coeundi sodalitates omnis spes erepta esset, accidit, ut Orphicis se dederent, et sua cum eorum placitis et praeceptis commiscerent. Maxime valuit ad hunc transitum similitudo quaedam Orphicorum dogmatum cum Pythagoricis, inprimis dogma illud de animae migratione Aegyptiorum, quod cum Pythagoras, tum Orphici miro amore amplexi sunt, sed suo quisque modo excoluit (de quo alibi). Ne credas vero Pythagoreos omnino immutasse, quidquid Orphicis antea proprium fuerit, imo summum Orphicorum principium Bacchi orgiis nutritum, mori melius esse quam vivere, Pythagoreis accedentibus firmatum magis ac corroboratum est. Huic tempori originem debent Orphica scripta, quae Orpheo et Lino (Jambl. §. 139. cf. Welcker. de Lino in *Allg. Schulzeitung* 1830. II. Nro. 5. p. 37.) partim a Pythagora supposita dicuntur, a Pythagoreo-Orphicis vero composita sunt omnia; approbante aliquam partem jam Valkenaerio in Diatr. de Aristob. Jud. p. 84. Verissime igitur dicit

Orphicorum disciplina fuit mystica hominum religiosissimorum consociatio, qui terrenae vitae fragilitate contristati quum animi corporis vinculis quasi in servitutem redacti, requiem et consolationem in Bacchi cultu ab Orpheo instituto, et ab iis recepto, invenirent, meliorem animi statum sancta, ascetica et ab omni animalium caede et esu remota vivendi ratione praeparare studebant. Hic est *βίος Ὀρφικός*, quem optime repraesentat Euripides, Pythagorico-Orphicae magis quam genuinae Pythagorae scholae addictus, sub Hippolyti persona. Cf. Hippol. v. 949 sqq. Locus classicus extat ap. Platon. Legg. VI. p. 782. *ἀλλὰ Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τοῖς τότε, ἀψύχων μὲν ἐχόμενοι πάντων, ἐμψύχων δὲ τοὐναντίον πάντων ἀπεχόμενοι.* Cf. Epinom. p. 975. vid. Odofr. Mueller. Proleg. p. 380 sqq. Lobeck. Aglaoph. I. p. 245 sqq. Pythagorei igitur quum conjungerent se cum illa secta, fieri aliter non potuit, quam ut idem vitae genus sequerentur; quapropter dicere poterat Plutarchus, Orphicos et Pythagoricos cor et cerebrum abominari. Plut. Sympos. II. p. 635. E. Eodem pertinet quod Athen. II. p. 65. F. refert. Ex omnibus his in breve contractis apparet, praeceptum istud abstinentiae ab omnium animalium victu e Pythagorico sodalitio prorsus repellendum esse. Eadem ratio est

---

Hoeckius V. C. "*Das vorhandene Alte ward von ihnen aufgefasst, erweitert, und zum Theil mit Fremdartigem gemischt, allein, seiner Hauptrichtung nach, nicht umgewandelt. Die Pythagoreer haben mehr von dem frühern Orphischen Wesen sich angeeignet, als in dasselbe hineingetragen.* cf. Hoeckium de Creta Ins. Tom. III. p. 228. Certiorem fortasse quam par est edixi hanc conjunctionem, quae tum negari potest, si clarissima indicia, ne dicam tota antiquitas, subvertentur. Agnoverunt illam Boeckhius in Philolao p. 180. Dissenius in *Götting. gel. Anz.* 1827. p. 821. illustrarunt Odofr. Muellerus Proleg. Myth. p. 382. Hoeckius de Creta Ins. Tom. III. p. 197 — 245. Sed nunc prodiit Lobeckius, Academiae Regiomontanae decus, cum Aglaophamo, saepius jam laudato, in quo infinitae eruditionis opere demonstrare conatur, Orphicorum orgia ex Pythagorae societate effluxisse. Enimvero Vir Clariss. non respexit, quod respicere debebat, rejecit, quae non rejicienda erant. Aristoxeni narrata, nobis gravissima, ipsi commentitia sunt, quippe pleraque sententiae refragantia. Sed omnes Lobeckii demonstrationes infringuntur, comparata Orphicorum religione cum cultu in Pythagorae societatem recepto. Quo unquam modo fieri poterat, ut Pythagorici placido Apollinis cultui deditissimi deleta schola in contrarium elementum inclinaverint, et tetrica Bacchi sacra substituerint!

interdicti fabarum esus. Nihil vulgatius tritiusque erat, quam quod Pythagoras legumentum fabaceum detestatus sit. Contra Aristoxenus nullo saepius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis; λίαν κινητικόν τε γὰρ εἶναι, καὶ διαφορητικόν· ap. Gell. IV, 11, 4. sqq. Causam erroris de κυάμῳ non esitato ex perperam intellecto Empedoclis versu

Δειλοὶ, πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι

enatam esse putat Gellius, quo poeta non a fabulo edendo, sed a rei venereae proluvio voluerit homines deducere. Sed aliter mihi videtur. Primum hic versus inter Orphei, h. e. Orphicorum ἔπη numeratur a Didymo in Geopon. II, 35., etiam si sententiam spectas ab Heraclide ap. Lyd. de Mens. p. 76. (vid. Lobeckii Aglaoph. I. p. 251.). Tum constat, in Orphicorum disciplina fabarum abstinentiam traditam esse; inde κύαμοι Ὀρφικοί ap. Gregor. Naz. Or. XXIII. 535. C. vid. Aglaoph. p. 252. Denique aeque Orphicis ac Pythagoricis hoc interdictum tribuitur. Ex his colligo, Pythagoram hoc praeceptum symbolico sensu dedisse, quod comprobat Aristot. ap. Diog. L. VIII, 34., illud κυάμων ἀπέχεσθαι autem non diaeteticum, quem dicunt, sensum, sed politicum continuisse; monebat enim Pythagoras, ab ea civitate abstinendum esse, in qua summa imperia non censu, sed per suffragia fabis lata demandentur. Cf. Aristot. ap. Diog. Laërt. l. l. Apollon. ap. Jambl. §. 260. ubi Pythagorei accusantur, quod praecepissent τοῖς κυάμοις (non ἀγάμοις) πολεμεῖν, ὡς ἀρχηγοῖς γεγονόσι τοῦ κλήρου, καὶ τοῦ καθιστάναι τοὺς λαχόντας ἐπὶ τὰς ἐπιμελείας. Vid. Plut. de Educ. p. 12. E. cf. Interpr. ad Jambl. l. l. [1]). Luce clarius est, quum Pythagorici cum Orphicis sese conjungerent, hoc praeceptum non symbolica, sed propria significatione valuisse. Inde accidit, ut Pythagorae aemulatores non priscam illius, sed sanctiorem Pythagorico - Orphicam vitam imitantes, quum Athenas concessissent, mediae comoediae poetis, quorum de singulari Pythagorizantium vivendi ratione versus extant, ludibrio fuerint, quo ingens mendaciorum copia in historiam illata

1) De Pythagorae κυάμῳ nonnulla collegit vir doctus in Miscell. Obs. Belg. Vol. VI. T. II. p. 417-451, sed tractata parum accurate quam nos approbavimus Aristotelis, ceterorum, interpretatione notissimi symboli, mirum sane et prorsus improbandum proposuit explanationis specimen. Ceterum eandem per sortes magistratuum electionem respuit Socrates ap. Xenoph. Memor. I, 2, 9. Aristot. Rhetor. II, 20.

est. Cf. Grauert. de med. Gr. comoediae natura et forma (in Museo Rhenano 1828 p. 511 sqq.) [1]). Omnia haec luculenter declarant, quae de Pythagorae ejusque discipulorum abstinentia ab animalibus et fabis saepiusque affectata continentia mire exornaverit recentior aetas, a genuina philosophi schola quam remotissima fuisse, Aristoxeni vero relata unice Pythagorae mente dignissima, et historia comprobata esse. Vel sic tamen haud infitior prima fundamenta errorum, in quos inducti sunt ceteri scriptores, in ipso sodalitio jacta fuisse. Nam testibus Aristotele et Aristoxeno (ap. Gell. IV, 11, 12. et Diog. Laërt. VIII, 20.) pauca carne quadam, sicut bove aratore et ariete abstinuerunt Pythagorici, hujus vero abstinentiae ab edenda bovis et arietis carne causa alia est, quam vulgo creditur, cohaerere mihi videtur cum sacris Apollinaribus. More enim sanctissime observato receptum erat, incruenta facere Apollini, animalia contra humani generis utilitati, agriculturae inprimis, quam verno tempore ab Hyperboreis redux et hominibus placido vultu apparens deus indicit et procurat, inservientia, immolare nefas erat; amat Apollo agri primitias,

---

1) Nihil ejusmodi in antiquae comoediae reliquiis deprehendi, praeclare adnotatum est ab Aug. Meineckio, Viro elegantis ingenii, in Quaest. Scenic. Sp. I. p. 24. Sp. III. p. 33. et saepius. Media potius et nova comoedia, quae angustioribus licet quam antiqui temporis comicorum circumscripta finibus, in irridendis tamen philosophis, Socraticis inprimis et Pythagoreis Pythagoristisque haud parum operae collocabat. Et lepidissime sane sugillant voluntariam degeneratae disciplinae sobrietatem, squalorem, fastum etc. Mnesimachus in Alcmaeone apud. Diog. L. VIII, 37., Antiphanes in Monumentis, Pera, aliis, ap. Athen. IV. p. 161. A. E., Alexis in Pythagorizusa et Tarentinis, ap. Ath. IV. p. 161. B. C. D. III. p. 122. F. Aristophon in Pythagorista ap. Diog. L. VIII, 38. Athen. IV. 161. E. F. VI. 238. C. XIII. 563. B. (minime Aristophanes, quod multi vel nostra aetate scripserunt. Aristophonte aegre careo in catalogo mediae comicorum aetatis ap. Meineckium Qu. Scen. Sp. II. p. 5. sed, ut nunc video, haud praetermissus est in Specim. tert. Q. Sc. p. 46.) et Cratinus junior in Pythagorizusa et Tarentinis ap. Diog. L. VIII. 37. cf. Suid. s. v. Ξενοφάνης (quarum fragmenta a senioris Cratini Reliquiis prorsus secernere debebat Runkel.) a Meineckio (Spec. pr. p. 24. inpr. in Sp. tert. p. 46 et 47. de aetate cf. etiam Clinton. Fast. Hellen. Prooem. p. XLIII. cum nota) ordini suo restitutus; adde Theocrit. Idyll. XIV. 5. ibiq. Kiessling. Errat Runkel. p. 58. in enodando Tarentinorum argumento, ipsum jam Pythagoram Tarenti docuisse dicens; docuit ibi quantum scimus numquam philosophus.

frumentum, hordeum et placentas sibi offerri. Cf. inprimis Varron. ap. Serv. ad Aeneid. III, 85. Inde pulchra Aristotelis narratio explicanda est, qua Pythagoras solam aram, quae post corneam est, Delii Apollinis Genitoris (est ille βωμὸς εὐσεβέων) velut inviolatam sollemni prece adoraverit. Aristot. ap. Diog. Laërt. VIII, 13. Timaeus ap. Censor. de D. Nat. c. 2. (vid. Goeller. fragm. Timaei 62.) Cic. de Nat. D. III, 36. Macrob. Sat. III, 6. Jambl. §. 25 et 35. Clem. Strom. VII. p. 304. Cyrillus in Jul. X. p. 348. B. cf. Odofr. Mueller. Dor. I. p. 324. 325. — Sequitur ut de Apollinis cultu in societatem recepto agamus.

Supra jam probavimus, Apollinem Doriensium summum deum etiam in Crotoniatarum civitatem illatum esse. Pythagoras Doricorum institutorum tenacissimus, recepit hunc deum [1]) et tamquam antistitem societati suae praefecit. Dei religioni maxime innatum et quasi insculptum est, ad placidos mores effingere homines (Ephor. ap. Strab. IX. p. 422.), internum animi concentum turbidioribus perturbationibus concussum reducere, et reductam mentis animique harmoniam constanter servare. Quid mirum, quod Pythagoras hanc notionem ita adhibuit, ut non solum totam vitam, sed etiam philosophiae dogmata ad eam dirigeret! Philosophum invenimus totum Apollini inservientem [2]),

---

1) Ambigitur adhuc, unde et quomodo dei sacra acceperit. Primus quantum scio Odofr. Mueller. ex Apollonio ap. Jambl. §. 8. collegit, Pythagoram Apollinis cultum gentilem habuisse. Sed aeque fabulosa est Apollonii ac recentiorum scriptorum (cf. Jambl. 222.) narratio, Pythagoram a prima statim nativitate cum Apolline conjunctum fuisse; talem conjunctionem cum diis nativam in celeberrimorum virorum vita ubivis fictam deprehendimus. Potius credam, aut Lacedaemone, aut, quod historia docere videtur, Crotone demum philosophum dei cultum suscepisse.

2) Ex hac Pythagorae cum Apolline conjunctione enatae sunt fabulosae consuetudines, quas habuerit philosophus cum Abaride, Epimenide, aliis. Abaris, quem temporum computatores in Ol. LIII. ponunt, in Hyperboreorum, h. e. remotissima terra natus, sacerdos erat Apollinis, sed praestigiatorum, quibus superstitiosa aetas abundabat, unus, qui partim ad commissa scelera, pestilentiam saevientem aliaque prodigia expianda, partim ad stipem sacram colligendam terras peragrabat. Vid. Lycurg. apud Nonn. Narrat. Vig. ad Greg. N. Or. in Creuz. Melet. P. I. p. 76. seqq. Jambl. V. P. §. 91. 141. et quos tempore enumeravit Lobeck. ap. Struvium de dial. Herod. I. p. 12. not., in Aglaoph. I. p. 314. not. p. Crotonem eum venisse et vix credas! auro mendicato in commune collato a Pythagora in societatem receptum esse, narrat

hoc declarat pulcherrimum illud praeceptum, apex quasi philosophiae suae moralis, ἕπου θεῷ, ap. Stob. Ecl. Ph. Tom. II. p. 66. ed. Heer. Jambl. §. 86 et 137. Inde factum est, ut musicae studium incredibili ardore amplecterentur Pythagoras ejusque discipuli. Ille praecepit, antequam cubitum irent et quum e lectulo surgerent, animum ad lyram componere [1]), quem morem recte explicat Quintil. Inst. Orat. IX, 4, 12. dicens: Pythagoreis certe moris fuit, et, quum

---

script. ap. Jambl. §. 90. 92. Facile sibi quisque persuadet, hanc mire exornatam fabulam inventam esse ab homine angusti ingenii; talem semper se praebet Heraclides Ponticus, quem scimus singularem de Abaride conscripsisse librum, vid. Plut. de aud. poet. p. 14. E. et Bekkeri Anecd. Gr. T. I. p. 145, 22. 178, 27. Eum haud dubie secuti sunt vel Porphyr. et Jamblich. ipsi, vel quorum illi compilarunt vitas, recentiores scriptores. Porro Abarim Pythagorae Apollinis sagittam dedisse ac philosophum hac vectum esse Tauromenium et Metapontum, quo explicaretur itineris longitudo, uno die peracta, ex Heraclidis Abaride sumtum persuasissimum habeo (Porphyr. §. 29. Jambl. §. 91, 92, 136, 140, qui illud aperte pro exornatione vulgaris narrationis habent). Enimvero historiam Abaridis aëriae vecturae ab Herodoti temporibus prorsus repellendam esse, evidentissime nuper nobis probavit Struvius in l. l. p. 11. not. Herodotus enim (IV, 36.) non dixit (ex Wesseling. emendat.), sagitta circum omnem terram vectum, sed sagittam habuisse pro signo (σύμβολον) divinae legationis; quod recte collegit e Lycurgi frag. Lobeck. Agl. l. l. Ex his nemo in dubitationem vocabit, quin illa seriore aetate et quod credam ab Heraclide conglutinata fabula ad Pythagoricam vecturam inveniendam disseminandamque invitaverit. Ceterum philosophum eodem die eademque hora Metaponti et Crotone visum esse, memorat rumorem certe secutus Aristoteles ap. Aelian. V. H. II, 26. — De Epimenide, qui statim post Ol. XLVI. mortuus, ideo falsissime Pythagorae discipulus habitus est, vid. Heinrich. de Epimenid. p. 21., inprimis Bentlej. de aetate Pyth. p. 31. Lenn.

1) Praeterea Pythagoras, qui, ut Aristox. supra dixerat, haud parum in memoriam discipulorum recipiendorum inquirebat (adde Jambl. §. 164.), praecepisse fertur, ut ante et post somnum recognoscerent quae pridie vel nudius tertius egissent, dixissent et audissent, memoriae partim exercendae gratia, partim vero ut rationem cujuslibet facti sibi redderent. Notissimus est versus πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; cf. Cic. de Senect. XI, 11. Diodor. Exc. Vales. p. 555. Apoll. ap. Jambl. §. 256. Diog. ap. Porph. §. 40. Diog. L. VIII, 22. incert. ap. Jambl. §. 165. inprimis vero Hieroclem in aureo comment. ad Aureum carm. p. 153 sq. ed. Needh., quod non fictum, potius philosophi menti congruens esse, equidem credo.

evigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores, et, quum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut, si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent (Idem narrant Plut. de Iside. p. 384. A. de Virt. moral. p. 441. D. et Diog. ap. Porphyr. §. 32. ap. Jambl. 65.). Hoc deducimur ad summum principium musicae in Apollinis cultu tractatae, ad κάθαρσιν. Hujus musicae vis inprimis in eo spectatur, ut mentem affectam et conturbatam sanet, tristitiam pectorisque morsus depellat, cupiditates cohibeat, animum demissum erigat et strenuum reddat. Haec est vera illa κάθαρσις, quam Pythagoras assequi studebat, Jambl. §. 110. Schol. in Hom. Il. X, 391. p. 600. a. Bekk. ἥτις sc. μουσική, καὶ μέχρι τῶν Πυθαγορείων ἐθαυμάζετο, καλουμένη κάθαρσις. Quapropter haud difficile est ad intelligendum, cur lyram tibiae anteposuerit. Haec implet Bacchico furore, et habet aliquid ὑβριστικὸν ac πανηγυρικὸν (Jambl. §. 111.) et vetat ratione uti, quemadmodum pulchre dicit Aristot. Polit. VIII, 6. Contra lyrae strepitus componit et demulcet animum, et depellens omnia tacitis obnoxia cogitationibus, ad sublimiora adducit (cf. quae Rittershusius ad Porph. p. 188. ed. Kiessl. collegit). Ad haec lyra cantabat Pythagoras Thaletae antiquos paeanas et Homeri Hesiodique selecta carmina, animum tranquillantia. Diog. ap. Porph. §. 32. ap. Jambl. 111 et 164. adde Diog. L. VIII, 24. Thaletae enim lyrica poësis quemadmodum arctissimo vinculo copulata cum Apollinis cultu Cretensi (cf. Odofr. Mueller. Dor. II, 321. I, 207. Hoeck. Cret. T. III. p. 342.), sic penitus cum ista idea placandi, expiandi, purgandique perfusa erat. Cf. Hoeck. Cret. T. III. p. 364. Praeter hanc quotidianam, quam instituit Pythagoras mentis purgationem, alia annua (ἐνιαύσια μέλη) agebatur a sodalibus, quae quamvis tribus tantum antiquitatis testimoniis confirmetur (Jambl. §. 110. et Schol. Venet. ad Hom. Iliad. XXII, 391. qui ex uno fonte hauserunt, adde Aristid. Quintil. de Mus. lib. II. p. 110. ed Meib.; ignorare videtur M. hunc morem), tantam tamen verisimilitudinem habet, ut summo jure hic apponi possit. Circum vernum tempus, referunt, cantilenam cantabant ejusmodi: collocabat praeceptor discipulum lyram ludentem in medio, eumque circumsedebant cantandi periti, et sic concentu lyrae concinebant paeanas quosdam, δι' ὧν εὐφραίνεσθαι καὶ ἐμμελεῖς καὶ εὔρυθμοι γίνεσθαι ἐδόκουν. Scimus in hoc anni tempus celebratissima festa Delphica incidere, in quibus Apollo iratus piaculis placatur; tum resonant paeanum cantus. Magna lustralia

aguntur, quo tranquillo et sereno vultu apparet deus. Cf. Odofr. Muell. Dor. I. p. 328 sqq. Dissen. in *Götting. gel. Anz.* 1827. p. 822 sqq. Hoeckii Cret. III. p. 226. Gaudia pertentant pectus, si juvenum coronam cogitamus mentis pariter atque animi excolendi ita curam gerentium, ut quidquid noxii propositoque assequendo adversantis ipsis insederit, musica duce, morum formatrice, abluant seseque ad agendum promptiores reddant. Quemadmodum vero Pythagoras ad sanandos animi morbos musica usus est, sic eam ad corporis medelam adhibuit [1]). Ut corporum morbis mederetur, habebat peculiaria quaedam carmina, quibus aegrotanti sanitatem restituebat (Diog. ap. Porph. §. 30. 33. ap. Jambl. §. 114. cf. 164.). Haec erant illac incantationes, quibus antea soli sacerdotes in curandis morbis usi erant. Praeterea vero versabatur Pythagorae medicinae tractatio inprimis in dandis observandisque praeceptis, quae dicunt, diaeteticis (Apoll. ap. Jambl. §. 264.), quae medendi ratio in regione ad sanitatem ac firmam corporis constitutionem naturali situ facta ad restituendam valetudinem aptissima, Pythagoricorum praesertim vitae sobriae et ad amussim exactae convenientissima erat. Jambl. §. 163. 244. cf. Menag. ad Diog. L. VIII. §. 12. Pythagorae medicinae studio primum fundamentum medicinae arte conclusae jactum est, quo discipuli eversa societate systema quoddam condentes aeternam gloriam adepti sunt. Cf. Apollon. ap. Jambl. §. 264. Aelian. V. H. IX, 22. vid. Wachsmuth. in libr. *Hellen. Alterthkde* II, 2. p. 487 et p. 50. [2]). Latius hoc persequi vetat propositi ratio, praesertim quum in sequentibus passim nonnulla ejusmodi respicienda sint. Nunc relegemus lectores ad Sprengelii Hist. Medic. Tom. I. p. 289. 294 sqq. ed. noviss. et Heckeri P. I. p. 72 sqq., quamquam dolendum, quod primi historiae criticae medicinae scriptores multa perscripserint et repetiverint, quibus pro auctoribus, quos secuti sunt, putidissimis omnis deneganda est fides et auctoritas. — Ut aptum huic parti finem imponamus, de mutua, quae inter sodales

---

1) Non opus est ut pluribus demonstremus, ab antiquissimis inde temporibus hanc etiam corporis medendi rationem Apollinis cultui inhaesisse; patet enim.

2) Maxime inclaruit Alcmaeon, qui propter acre studium, quod in dissecandis scrutandisque animalium corporibus collocasse fertur, antiquissimus anatomiae cultor recte habetur, cf. Sprengel. I. p. 299. Hecker. I. p. 78.

intercedebat, consuetudine superest ut disseramus. Supra ex Aristoxeno (ap. Jambl. §. 94.) ostendimus, jam in explorandis discipulis haud parum impendisse curae Pythagoram, utrum ad dissensionem an ad amicitiam contrahendam proniores et in hac stabilienda conservandaque constantes se gererent. Ab omni enim vera amicitia certamen et contentionis studium quam longissime removendum, sin non, saltem ab ea, qua cum parentibus et omnino cum senioribus et beneficis hominibus constricti sumus, perpetuum Pythagoreorum praeceptum erat. Porro dicebant quam minimas exulcerationes (ἀμυχάς τε καὶ ἑλκώσεις) in amicitiis esse debere, quod tum fieri posse, quum uterque amicorum, inprimis junior, cedere iramque moderari sciret. Emendationes et admonitiones (παιδαρτάσεις vox Pythagorica) caute ac modeste a senioribus erga juniores faciendas esse monebant: fidem autem nunquam nec joco nec serio ab amicitia amovendam, nam si mendacium amicorum animos invaserit, amicitiam salvam manere, haud facile esse ajebant. Nullum infortunium aut generis humani imbecillitatem, magnam solam et non emendabilem malitiam renunciandae amicitiae causam sufficientem esse. Eam amicitiam veram ac sinceram futuram, in qua quam plurima certis legibus circumscripta et distincta essent. Pulcherrimas has sententias e Pythagoricis enunciationibus libatas servavit nobis Aristoxenus ap. Jambl. §. 101—103. repetitas §. 229., in quibus optimi quique scriptores conspirant. Cf. Diod. Exc. Vat. p. 31. c. 37. Mai. Satis luculenter declarant cum vivendi rationem Pythagoricam, tum mutuam sodalium consuetudinem; comprobant praeclare Diodori dictum: sapientium esse amicitias immortales, inimicitias mortales habere. Diod. Exc. Vat. p. 64. c. 8. Mai. Pauca Aristoxeni verbis addere juvat. Haud immerito primus qui amicitiae nomen invenerit et sanxerit, omnium consensu perhibetur Pythagoras, qui tam admirabili amicitia amicos suos junxit, ut postea ii, quos arctior sociaret benevolentia, e Pythagoreorum numero esse dici solerent. Cf. Aristox. ap. Jambl. §. 230. Idem Aristoxenus narrat, ut mutuum amorem inconcussum servarent Pythagorici, peregrinas amicitias sedulo declinasse, ap. Jambl. §. 233. Parentes contra ut summa pietate et reverentia, qua deceret liberos, colerent tractarentque, commendabat Pythagoras (Aristox. ap. Jambl. §. 100.), eos vero negligere, gravissimum dicebat esse delictum. Cf. pulchrum Pempeli Pythagorici fragmentum ap. Stob. in Floril. Tom. II. p. 460. Tom. III. p. 123. ed. Gaisford. et Apollon. ap. Jambl. 257. vid. Mahnium de Aristox. p. 104 sqq.

Multa exempla genuini Pythagorici characteris servavit historia, plurima ad. Platonis aetatem, qua omnino veteris disciplinae severitas et rigor in Pythagoreorum animis resuscitatus est (cf. Plat. de Rep. X. p. 600.), spectant. Notus est Clinias Tarentinus, egregius perturbationum animi sui moderator, cf. Chamaeleon. ap. Athen. XIV. c. 18. p. 623 et 24. Aelian. V. H. XIV, 23. Cf. Mahn. de Aristox. p. 113. not.; maxime celebratum est amicitiae documentum, quod Proro Cyrenaeo praestitit. vid. supra. Quid dicam de Archyta? qui villico rem suam male curanti ea modo de causa pepercit, quod iratus erat. Rem certatim narrant optimi scriptores, vid. Aristox. ap. Jamblich. §. 197. Diod. Exc. Vat. p. 30. et quae collegit Majus ad Cic. de Rep. I, 38. Quid de Epaminondae inconcussis moribus? qui a Lyside Pythagoreo institutus (Aristox. ap. Jambl. 250. Diodor. XVI, 2. Exc. Vales. p. 556. et saepius) eandem animi constantiam, in victu frugalitatem, avaritiae odium, taciturnitatem et sanctae amicitiae contrahendae amorem, quam Pythagoricorum aliquis prodidit, cf. Plut. de Adul. et amic. discrep. p. 52. E. Apopht. p. 192. C. de Genio S. p. 592. F. Dio Chrys. Orat. 43. p. 505 seq. Orat. 49. p. 537. ed. Mor. Themist. Orat. 9. p. 198. Petav. vid. Rittershus. ad Porphyr. p. 259 sqq. Vel sic tamen confitendum est, nullam rem tam suaviter animum afficere, quam illam de vadimonio Phintiae et Damonis, Pythagoreorum, historiam, quo nihil, quod unquam amicitia perpetravit, generosius recte praedicatum est. Dionysius secundus saepe Pythagoreorum amicitiam tentans, Phintiam, qui a Dionysii adulatoribus (Διονυσοκόλακες) in tyranni vitam conspirasse accusatus erat, capitis condemnavit. Phintias supplicii moram quaerens, ut reliquum diei sibi concederetur, vadem dando petiit. Dionysius admirabundus interrogabat, num quisquam esset, qui in morte subeunda vas fieri sustineret? affirmante Phintia arcessitus est Damon, vademque se futurum dixit, et donec amicus rediret, permansurum. Quum jam sol ad occasum vergeret, Phintias moriturus supervenit. Quo facto Dionysius amplexus viros et deosculatus, ut tertium se in amicitiam adscriberent, frustra oravit. Aristox. ap. Jambl. 233—37. ap. Porphyr. §. 59. (Mahnius de Aristox. p. 45 sqq.) Diod. Exc. Vales. p. 554 et 55. [1]). —

1) Quemadmodum saepissime in historia accidisse videmus, ut rei crebra injecta memoria renovatae priscus et nativus color abstergatur, ita etiam cum nostra narratione factum, quippe quae variis men-

·eamus, unde egressi sumus. Quemadmodum mutua so-
·tia certis legibus symbolice praescriptis, sine quibus
·ri non posse putabant, definita erat, sic vita eorum
·n amicis conversandi modus symbolica ratione
·se videtur. Salutandi signum triplex tri-
·ίγων, πεντάλφα) erat:

·λήλων τὸ πεντάγραμ-
·υς ἐχρῶντο, ὑγιεία πρὸς
·ph. Nub. 611. p. 249. Din-
ibiq. Schol. Menag. ad Diog.
·ert.: *Der Drudenfuss*, inser. in
ι. 1. p. 57 sqq. et Lobeck. in Aglaoph.
·seras quasdam figuris mathematicis sen-
·volventibus inscriptas habuisse videntur,
Nam tum demum lux affunditur nonnullis

·a est. Nos qui vadimonium sensu tantum non ex
verbis retulimus, unice Aristoxenum, qui illud ex
·m regno expulsus Corinthi ludimagistrum ageret, au-
·ti sunt Aristoxeni cum tyranno de Platonis philosophia ser-
·. Plut. Timol. c. 15. — sequendum duximus, quocum
·onsentiunt Cic. Tusc. Qu. V, 22. cf. Off. III, 10. Val. Max.
Lactant. Institt. V, 17. Coarguendum est vero ridiculum se-
·n additamentum; ap. Jambl. et Porphyr. narratur, Phintiam
·e dato ideo discessisse, ut tam sua quam Damonis negotia compo-
·eret, in bonorum enim communione eos victitasse. Cave ne ex his
Pythagorici sodalitii *κοινὰς οὐσίας* colligas, quod per se falsum de-
monstravimus, hoc vero loco ad ridendum aptius, quo de tempore
Dionysii junioris sermo est. Sed fieri poterat, ut amicorum par com-
muni convictu frueretur. Verum Diodor. modo narrat, Phintiam mor-
tis moram petiisse, *εἰς τὸ περὶ τῶν ἰδίων πρότερον ἃ βούλεται διοι-
κῆσαι*. Cum his bene concinit Polyaen. Strateg. V. c. 2. sect. 22.:
Phintias, ait, locare voluit sororem suam. Ex Graecis familiae legibus
constat, patre mortuo senioris fratris fuisse, sororem conjugio jun-
gere, huic officio ante mortem haud dubie satisfacturus erat Phintias.
Ceterum de Phintia et Damone egit Langius in: *Neuem Teutsch. Mer-
cur*, 1808. fasc. 3. p. 183., sed in quibusdam ab eo recedo. Schilleri
nostri suavissimum carmen in memoriam revocare mihi non convenit.

scriptorum locis, quibus diserte traditur, Pythagoreos ex signis communis scholae vel eos, quos nunquam antea viderint, cognovisse amicos, cf. Jambl. 237 et 238. Signum agnoscendi sese gnomonis figura fuisse mihi videtur, quod ex natura Pythagorici gnomonis colligo; est enim familiaritatis quasi et conjunctionis signum, quo res cum animo amice copulantur, et simile simili cognoscitur, cf. Philol. ap. Stob. Eclog. I. p. 8. 10. et Boeckh. in Philolao, p. 141 sqq.

Postquam societatis instituta miris difficultatibus districta, quantum fieri potuit diligentissime, enucleavimus, age rationes subducamus, indicantes, quid sibi voluerit cum illis Pythagoras. Ex iis, quae de Crotoniatarum civitatis statu ex Dicaearcho et Justino supra scripsimus, nunc liquet, depravatam temporis indolem haud parvam in Pythagoram, quum scholam conderet, exercuisse vim. Sodalium enim vitam sobriam et dispositam, Crotoniatarum ceterorumque Magnae Graeciae populorum luxuriae deditorum moribus prorsus contrariam et inimicam deprehendimus. Hac certe causa rursus id assecuti sumus, Pythagorae consilia ut non sola mente excogitata, sed tempore adducta et nutrita putemus. Societatis descripta instituta modo ad animi culturam pertinebant. Generosam corporis dignitatem, et animi concinnitatem prodere, hoc omnium studiorum caput erat. Corporis libidines dispellere, animi harmoniam servare et alta requie interni concentus speciem prae se ferre, Pythagorae consortio proprium erat [1]). Patet nunc, qua ex causa Apollinis cultum receperit Pythagoras. Quis enim alius perturbationes et affectus profligare, quis hunc tranquillum, sedatum et aequabilem animum adducere et conservare poterat, quam ille deus?

Quum omnia, quae hucusque de sodalitio Pythagorico scripsimus, ad ipsos sodales pertineant, nec de iis, qui societate quidem exclusi, cum illis tamen conjuncti erant, dicendi occasio obvenerit

1) *Ἀλλὰ δὴ εἰ μὴ δημοσίᾳ, ἰδίᾳ τισὶν ἡγεμὼν παιδείας αὐτὸς ζῶν λέγεται Ὅμηρος γενέσθαι, οἳ ἐκεῖνον ἠγάπων ἐπὶ συνουσίᾳ καὶ τοῖς ὑστέροις ὁδόν τινα παρέδοσαν βίου Ὁμηρικήν, ὥσπερ Πυθαγόρας αὐτός τε διαφερόντως ἐπὶ τούτῳ ἠγαπήθη, καὶ οἱ ὕστεροι ἔτι καὶ νῦν Πυθαγόρειον τρόπον ἐπονομάζοντες τοῦ βίου* (Cebes Tab. 2.) *διαφανεῖς πῃ δοκοῦσιν εἶναι ἐν τοῖς ἄλλοις*; dicit Socrates ap. Plat. de Rep. X. p. 600. A. B. (Ael. Aristid. Orat. T. II. p. 327 et 28. ed. Jebb. Euseb. Praep. Ev. XII. p. 619. C. D. ed. Vig.). Idem narrat de Pythagoreis sui temporis Isocrat. in Busir. c. 11.

idonea, priusquam tertiae parti finem imponamus, de illis mentionem faciamus. Dicendum est de mulieribus Pythagoricis. Crotona quum advenisset Pythagoras, et auctoritate sua populum in luxuriam lapsum ad frugalitatem et temperantiam revocasset, in civitatem eum adscriptum esse, non probabile solum est, sed summa philosophi in administrandis rebus publicis potestas manifesto id ostendit. Illo tempore Theano Crotoniatam in matrimonium duxisse videtur, quod nisi civis fuisset, facere sine dubio non potuisset. Quaerimus, num illa Theano et discipulorum mulieres Doricae gentis, quas Pythagorae tempore celebratas fuisse memoriae servavit antiquitas, pariter ac viri cum Pythagoricorum studiorum, quae descripsimus, tum quotidianorum conventuum participes fuerint. Nullum locupletissimorum testium adhuc inveni, qui claris verbis id affirmaret; Dicaearchus l. saep. l. ap. Porphyr. §. 19. refert, Pythagoram mulieres etiam, quarum unius Theanus nomen maxime inclytum esset, discipulas nactum esse. Notandum vero h. l. summum Porphyrii studium omnes in arctum contrahendi, quos excerpsit auctorum locos; quae Dicaearchus viginti paragraphis ap. Jamblich. deposuit, in unum coarctavit Porphyrius. Ideo certo non dixerat Aristotelicus, viros et feminàs eadem disciplina usos fuisse, quae tamen sententia vel ipsis Neo-Platonici brevibus verbis haud supponenda est. Potius ex omnibus indiciis rite pensitatis elucet, mulieres a consortio quidem exclusas, maritorum vero ob magnam quam matronis praestabant Dores observantiam et reverentiam, exemplo erectas ut conjuges et matres feminei sexus duces et educatrices fuisse. Mulier Pythagorica absolutissima fuit imago virtutis, modestiae, castitatis et constantiae muliebris, Dorica igitur mulier. Matribus simillimae erant filiae. Auctor est Timaeus, Pythagorae filiam, virginem adhuc, virginum choro praefuisse et castitatis eas instituisse doctrinis, mulierem vero inter eas, quae ad aram accederent, primum obtinuisse locum, Timaeus ap. Hieronym. c. Jovin. I. p. 309. Porphyr. §. 4. Jamblich. §. 170. (Goeller. fragm. 61. p. 263.) [1]). Ad aras vero accedere, nobili tantum et castae mulieri conveniebat. Repleta sunt veterum scripta enunciationibus

1) Errat haud dubie Goeller., hanc narrationem Timaeo Locro, non Tauromenitae tribuens, p. 201., quum omnia ad historiam societatis Pythagoricae pertinentia non Timaeo philosopho, sed historico adseri in aprico sit.

mulierum Pythagoricarum, Theanus inprimis (vid. Holsten. et Rittershus. ad Porphyr. §. 19. Wolf. in Fragm. Mulier. T. II. p. 448.); omnes, ut paucis complectar, continent exhortationes ad sexum muliebrem, ut luxuriae instrumenta propellant, fidem maritam conservent, et in liberis educandis excolendisque cunctam operam collocent. Pulcherrimum monumentum posuit illis mulieribus Wielandius noster, Oper. Tom. XXIV. p. 247—300. (ed. Lips. anni 1796.). Praeterea de iis egerunt Menagius in Hist. Mulierum Philos. suae Diogen. editioni subjecta p. 499. et Chr. Wolf. in Fragm. Mulier.

Sed tempus est, ad aliud dirigere societatis historiam. Rerum pertractandarum ordo postulat, juvenem receptum ad ipsa scientiae studia adducamus, ut satis excultum et eruditum tandem summo sodalitii scopo initiemus. Supra ex Aristoxeno (ap. Jambl. §. 96 et 97.) retulimus, mane et vespere ad studium philosophiae accessisse sodales; quaeritur igitur, qualis fuerit illa philosophia, ad quem finem spectaverit, et qua ratione adhibuerint eam discipuli?

IV.

Taurus ap. Gell. (I, 9, 3—8.) narrat de Pythagorae discipulis silentio eruditis, "ubi res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere audireque, tum verba facere et quaerere, quaeque audissent scribere, et quae ipsi opinarentur expromere potestas erat. Hi dicebantur, ait, in eo tempore μαθηματικοί: ab iis scilicet artibus, quas jam discere atque meditari inceptaverant; quoniam Geometriam et Gnomonicam, Musicam, ceterasque item disciplinas altiores μαθήματα veteres Graeci appellabant. — Exinde his scientiae studiis ornati ad perspicienda mundi opera et principia naturae procedebant: ac tunc denique nominabantur φυσικοί." Etsi in hac discipulorum distributione nihil quod Pythagoricum redoleat, inest, ab alia tamen parte Tauri verba haud levis sunt pretii. Discimus enim philosophicam discipulorum disciplinam incepisse a studiis mathematicis, et his absolutis ad naturae indagationem processisse; neque aliter fieri poterat. Scilicet ex tota Pythagorica philosophia apparebit, Pythagoram nullam aliam instituendi viam ingredi potuisse nisi illam, et Varronis testimonio sub finem confirmabimus, sapientibus tantum et perfectis discipulis opus habuisse philosophum, quibus

ultimam suae philosophiae disciplinam traderet. His paucis praemissis — nam plura ejusmodi praemonere nunc non licet — probare volumus, quam necessaria nobis sit philosophiae Pythagoricae expositio. Haud defuerunt quidem, qui quodammodo contenderent, in historia societatis Pythagoricae, in ea inprimis, quae scopum illius quaereret, philosophiae tractationem inutilem esse, aliud enim spectasse Italicae disciplinae auctorem, aliud societatis Crotone fundatae conditorem [1]). Enimvero dicant mihi omnes hujus sententiae propugnatores, qua ratione eruendum et cognoscendum sit Pythagorae consilium? num ex solis societatis institutis? haec describunt tantum virum Pythagoricum, qualis animo sit et esse debeat; num ex sola historia? quae modo docet, quomodo se gesserint Pythagorici in civitate, quomodo usi fuerint Pythagorae doctrina. Utilissima sunt illa instituta, utilissima historia. Sed quae fuit ista doctrina? Videt quisque medium quid inter utrumque et quidem gravissimum requiri. Aliud autem est quaerere, num genuina illa, quam postulamus, Pythagorae doctrina exponenda sit? Verum quidem, quod antiquissimi historiae philosophiae scriptores tacite jam confessi sunt, Pythagorae philosophiam quadam ex parte cum ipsa philosophi morte interiisse, certum porro, quamdiu viva praeceptoris vox valuerit et memoria tenacissima discipulorum dogmata servare potuerit, nihil monumentis consignatum esse, indubitatum denique, Philolaum discipulorum discipulum literis primum mandasse Pythagoricam philosophiam; nihilo tamen minus non desperamus, antiquioris doctrinae genuinae summam ex posteriore cultioreque doctrina sic ante oculos ponere, ut cum societatis scopo apprime cohaereat et conspiret [2]).

---

1) Haud aliter sensisse videtur Wedekindius in libro: *Ueber den Pythag. Orden* (1820), sed hic vir, ut ingenue profitear, expediendo suo negotio impar, aliud assequi studet, a quo quam longissime remoti sumus.

2) Omnino in historia philosophiae Pythagoricae animo semper volvendum est, insequentes Pythagoreos, si *summam* spectaveris, parum aut nihil a pristina doctrina recessisse. Cf. Origenis Philosophum. c. 2. pag. 878. B. ed. Par. Nec quidquam aliud significat Ciceronis quod omnium ore fertur, dictum: "Pythagoreos [non ipsius vero Pythagorae discipulos cf. Theodor. Orat. I. p. 474. A—C. ed. Par.] si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos: *Ipse dixit* [*Αὐτὸς ἔφα*]. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione

Consuevimus hucusque Pythagorae instituta Doricis institutis superstructa ac fundata ostendere et probare. Quod si rite tenemus, haud difficile est ad demonstrandum, quod exemplum secutus sit philosophus in condenda sua doctrina. Cretam et Lacedaemona adiisse ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclytas ea tempestate leges, id nihil aliud significat, quam quod recepit et in gyrum meditationum revocavit quod certis formis publice et privatim ibi positum erat. Doriensium vita summam gravitatem, majestatem et perpetuam in rebus publicis privatisque firmissime stabilitis permansionem declarat; eorum natura omnes res sensibus percipiendas prorsus respuit, potius internam quandam vitae consonantiam toto pectore amplectendo sibi ipsi inhaeret ac quamlibet usque de se instituit deliberationem. Eundem characterem Pythagorae philosophiae impressum esse, Graecae antiquitatis cultores concedent. Quid enim? nonne eandem inconstantiam, mobilitatem, animumque sensibus subjectum, quem in Jonum vita notare solemus, in eorum philosophia deprehendimus? Quid enim primorum physicorum multiplex principiorum variatio, quid Heracliti perpetua rerum agitatio aliud est, quam Jodici ingenii mobilitatis subtiliorem veritatis investigationem fugientis exemplum luculentissimum? Hanc Jonum levem naturam adeo exuit Pythagoras, ut in ipsa Dorum terra oriundus, institutus et excultus esse videretur? Quum enim intelligeret, omnes res in natura existentes constitutis quibusdam rationibus et legibus nasci, nec nisi mente simili modo instructa comprehendi posse, in subtilissimam devenit cogitationem, ut omnia ad mathematicas et harmonicas regulas revocaret. Mathesin, quam a quotidiana vita abducebat, cognatamque ipsi musicam ratis et immutabilibus legibus circumscriptam esse invenit, quam sic in usum suum convertit et excoluit, ut solitam Jonicorum philosophandi viam, qui in rerum tantum naturalium investigatione occupati ad naturae ortum, vicissitudines et interitum explicandum materia utebantur, relinqueret, novarum disciplinarum fundamentum poneret, et sic absolutissimam omnium doctrinam Platonicam praepararet. Aristot. Met. I, 6. Cicero de Finib. V, 29. de Rep. I, 10. [1]). Verum enim-

valeret auctoritas." Cic. de Nat. Deor. I, 5. Val. Maxim. VIII, 15. ext. 1. Cf. Menag. ad Diog. L. VIII, 46. Attamen reverentia et pietas, qua quovis tempore Pythagoreorum grex auctorem venerabatur, si notatu digna est, potius notanda erat quam opinio illa praejudicata.

1) Si omnia haec in unum conferas, tum veri quid Heraclidis Pont. narrationi inesse potest, qua Pythagoras apud Leontem, Phliasiorum

vero quam maxime reputandum est, Pythagoram totam suam doctrinam nunquam ad artem revocasse, non enim sola systematis condendi cupiditate incensus philosophiam tractabat, sed *ad vitam agendam* adhibebat ea ratione, cujus nullo tempore nec antea nec post in historia philosophiae simile exemplum reperias [1]). Posteri, qui Pythagoreos se profitebantur, quod sua sponte apparet, hac forma immutata, in modum disciplinae dogmata Pythagorica redigere studebant. Inde factum est, ut, quum genuina Pythagorae philosophia arte conclusae perceptioni cesserit, ad posteros nos conferre coacti simus. Philolaus, uti diximus, primus fuit, qui quamquam non verus Pythagorae discipulus (de tempore, quo vixit, alibi disseremus), Pythagorico tamen viro magistro usus, Pythagorae philosophiam separatim tractaret et excoleret, et excultam hanc doctrinam singulari opere tribus libris absoluto explicaret. Sed quum adversa fortuna etiam hoc opus posteritati eripuerit, desperaremus, fieri posse, ut unquam de Philolaica doctrina quidquam compertum haberemus, nisi disjecta membra in veterum libris sparsa laterent, quibus rite componendis certe de gravissimis doctrinae partibus edoceri possumus. Nostris demum temporibus reservatum erat, Philolai fragmenta ex tenebris in lucem protrahere, et ab hac parte immortaliter meritus est de tota Pythagorica philosophia Boeckhius V. C., qui hunc operosum laborem suscepit [2]). Perita manu abluit plurimas foedissimas,

---

principem, non sapientem, sed sapientiae studiosum primus se appellaverit, Heraclid. in libro περὶ ἄπνου apud Diog. L. I, 12. cf. Cic. Tusc. Qu. V, 3. Jamblich. §. 58 et 59. Peripateticum excerpsit Sosicrates in Successionib. ap. Diog. L. VIII, 8. Secuti sunt Quintil. Instit. Or. XII, 1, 19. Augustin. de Civit. D. VIII. c. 2. XVIII. c. 37. de Trinit. XIV. c. 2. Ceterum Socratem non primum fuisse, qui philosophum se nominaret, quod Meinersius putabat, argumentis satis firmis redarguit Wyttenbach., quem de his vide in Biblioth. Crit. II. fasc. 8. p. 117—119.

1) Verissime dicit Schleiermacherus: *Damals* (Pythagorae aetate) *aber war auch die Philosophie mit politischen Absichten und die Schule mit einer praktischen Verbrüderung auf eine Art verbunden, die hernach unter den Hellenen gar nicht wieder Statt gefunden hat*, in Introduct. ad Plat. Oper. Tom. I. p. 12. ed. sec.

2) *Philolaos des Pythagoreers Lehren nebst den Bruchstücken seines Werkes, von Aug. Boeckh. Berlin*, 1819. Ex secundo libro, in quo ex probatissima Boeckhii dispositione de numerorum natura eorumque in mundo efficacitate et virtute copiosius disputaverat Philolaus, descripta

quibus scatebant, maculas, admirabili continuatione et serie inter se colligavit, et felici successu eorum veritatem et fidem defendit. Nemo nunc dubitabit, quin servata fragmenta genuini Philolaici operis partes fuerint. Nostrum vero est ex his potissimum fragmentis (Claudian. Mamert. de stat. anim. II, 3.), adhibitis vetustis fideque dignis historiae philosophiae scriptoribus antiquam Pythagoricam doctrinam claro ordine exponere, et hac exposita ad summum philosophiae scopum ascendere. Sed quum inter angustos fines nos contineamus necesse sit, brevitati obtemperemus, eaque, quae a ceteris antiquis Pythagoreis paululum diverse dicta sunt, ab hac commentatione excludamus. Ordiamur, ut Tauro morem geramus, unde ordiri solet veterum philosophia, h. e. ab ea parte, quae in naturae contemplatione versatur.

Quaerentibus nobis, qua inceperit Philolaus sententia suam de mundi constructione illustrare doctrinam, mirum in modum pertentat animum quod delibavit Stobaeus ex libro *περὶ κόσμου* fragmentum gravissimum (Stob. Ecl. Phys. I. c. 22, 7. p. 454 et 56. Heer.) a Boeckhio (in Philol. p. 47 et 49.) pro ipso genuino Philolaici operis exordio rectissime habitum. "Quaecunque sunt, dicit Pythagoreus, aut finita esse omnia aut infinita, aut finita simul et infinita necesse est;" et paulo post: "quandoquidem ergo neque ex finitis omnibus neque infinitis omnibus res existunt, patet, ex finitis simul et infinitis concinnatum esse mundum quaeque in eo sunt." Ad res igitur in natura procreandas duo principia (*δύο ἀρχὰς*) statuit Philolaus, atque cum eo vetustissimi Pythagorei, finitum alterum, alterum infinitum. Adde Philol. ap. Stob. I, 11, 12. p. 298. Aristot.

---

mihi videntur tria quamvis haud maximi pretii fragmenta a Summo Viro praetermissa. Servata sunt a Laurent. Lydo. Primum in libr. de Mensib. p. 16. ed. Roeth. *ὀρθῶς οὖν αὐτὴν ὁ Φιλόλαος δεκάδα προςηγόρευσεν, ὡς δεκτικὴν τοῦ ἀπείρου, Ὀρφεὺς δὲ κλαδοῦχον, ἐξ ἧς, ὡςεὶ κλάδοι τινὲς, πάντες οἱ ἀριθμοὶ φύονται*, quod notante jam Lobeckio in Aglaoph. T. I. p. 716. etiam Cedrenus Comp. T. I. p. 169 B. et Etym. Mag. s. v. *Δεκάς* p. 253. continent; secundum in eod. libr. p. 72. *ὀρθῶς οὖν ἀμήτορα τὸν ἑπτὰ ἀριθμὸν ὁ Φιλόλ. προςηγόρευσε*; tertium ibid. p. 208. *ὀρθῶς οὖν ὁ Φιλόλ. τὴν δυάδα Κρόνου σύνευνον εἶναι λέγει.* Omissum est p. 148 et 49. alterum excerptum ap. Syrian. ad Arist. Met. II. p. 7. A. ed. Bagol., sed de corrupto nomine, sicut de graecis verbis nuper repertis vide infra.

Met. I, 5. p. 846, 7. cf. 847, 26. Du. Val. [1]). Ultimum, quod materiae loco (ὡς οὐσία Arist. Phys. III, 4 et 6. cf. Arist. Met. 1, 6. p. 849, 12.) ponitur, est ἄπειρον et quidem, ut supra jam significavimus, ἄπειρον πνεῦμα, cf. Philol. l. l. Aristot. Physic. IV, 8. quem exscripsit Stobaeus I, 19, 1. p. 380. Propter naturam, qua laborat, infinitam nullius omnino particeps est nec determinationis nec figurae, includit ideo omnia indefinita, tempus scilicet et cum intervallo spatium (τὸ κενὸν) Aristot. Phys. l. l. idem de Pythag. philos. ap. Stob. p. 380 et 82. Boeckh. in Philol. p. 108. 109. Eandem ob causam in mundo locum habere nequit, circumfundit (ἔξω τοῦ οὐρ.) potius eum (Arist. Phys. III, 4 ad h. Simplic. p. 104. B.) et ut legitimus rerum ortus existat, ab illo perpetua spiratione ducitur (ἕλκεσθαι, οὐρανὸς ὡς ἂν ἀναπνέων). Philol. ap. Stob. I, 21, 2. p. 420. ap. Boeckh. p. 167. cf. 170. Ar. Phys. IV, 8. ap. Stob. l. supra l. Plut. Plac. Philos. II, 9. quem respexit Euseb. Praep. Ev. XV. p. 844. D. Reciproci mundi spiritus, quo ἄπειρον cunctaque ei inhaerentia hausta in res ingrediuntur, dogma, respirantis animalis expressum imagine vividissima, pulcherrimis, si quid sentio, atque altius excogitatis Pythagoricae philosophiae decretis adnumerandum censeo, nec Lobeckii illud abolere conantis unquam in contrariam partem me abripient verba, in Aglaoph. T. II. p. 919. contra Boeckh. Philol. p. 109. Quodsi vero materia mensura caret ac termino, apparet, nullo eam definitam esse numero, quamquam posteri, qui Pythagorae placita probabant, quippe quae multitudinis vel varietatis principium in se haberet (Boeckh. Philol. p. 55 et 145.), ancipite nomine indefinitae dualitatis (ἀόριστος δυάς) illam insigniverunt, cf. Brandis. de perdit. Arist. libr. p. 27. [2]).

Veruntamen Pythagoreos refert Aristoteles (Physic. III, 4. cf. Metaph. I, 5. p. 846, 7.) dixisse, infinitum etiam esse par (τὸ ἄρτιον), comprehensum enim id atque ab impari determinatum tri-

---

1) Editione Du Valiana ubique usi sumus, quod semel monuisse sat est.

2) Nunquam istud vocabulum Pythagoreis ab Aristotele tribui, neque in ullo fragmento antiqui Pythagorei reperiri, bene adnotat Brandisius, adsentit Wendtius in Comment. de rerum princip. sec. Pythag. p. 20. 21; quam igitur ex Pythagoricis commentariis descripserit philosophiam Alexander ap. Diog. L. VIII, 25. haud antiquissimam esse, facile in oculos incurrit.

buere rebus infinitatem (intellige materiam); itaque *per se* numeri expers est ac tum demum hoc continetur et paris nomine notatur, quum pro flexibili sua natura infinita a mundo haustum ut imperfectum ac patiens ab impari numero numerorum parente (Origin. Philos. c. 2. p. 880. A. Theolog. Arithmet. p. 7. Macrob. in Somn. Scip. I, 6.) definiatur. Denique ipsa Philolai ap. Stob. I, 2, 3. p. 10. (ap. Boeckh. p. 145.) verba comprobant interminatam illam atque infirmam naturam, quemadmodum enim numerus Pythagoricus nihil falsi admittit (vid. postea), sic ἄπειρον, quod mente eget et ratione, omne mendacium invidiamque procreat, cf. Aristot. de Morib. II, 5. Hactenus de prima causa.

Progrediendum nunc ad alterum, quod posuit Philolaus, rerum principium, ejusque natura ac virtus, quam vel Aristoteles propter caliginem, qua obfusa est, sparsis locis aut libentius intactam relinquit aut breviori quam pro rei difficultate licuit explicatione illustrat, inspicienda est ac definienda. Τὰ περαίνοντα (*das Begrenzende*), qua voce hoc alterum principium comprehendit Philolaus [1]) (ap. Stob. p. 454. ap. Boeckh. p. 47.), neque, si naturam spectas, infinito similia nec cognata sunt (ἀρχαὶ οὐχ ὅμοιαι οὐδ' ὁμόφυλαι ap. Stob. p. 460. ap. Boeckh. p. 62.), nec nisi aliud accederet consocians, unquam in unam vitam conspirarent. Hanc determinantem causam, quam quaerimus, Pythagoricam in *numero* deprehendimus, non in quocunque tamen, sed simplici tantum, nec qui abstracta, quam dicunt, cogitatione continetur, sed *qui intrinsecus physice ac mathematice extenditur eandemque ob virtutem rem formare, terminare et excolere possit.* Alius igitur et quasi divinior convaluit numerorum usus apud Pythagoram, mentis acie magis expulatus nimioque matheseos amore nutritus, quam in rerum natura confirmatus [2]). Omnia, quae sunt et fiunt, non solum secundum numeros h. e. ratas arithmeticae rationes (μαθηματικὸς ἀριθμὸς), sed ex iis ipsis h. e. ex ipsa rerum essentia iis insita nec a rebus separata (Arist. Met. I, 5. 847, 30. XI, 6. XII, 3. Physic. III, 4. Simplicius ad. h.

---

1) Philolai. περαίνοντα nuncupat Aristoteles (Met. I, 5. 846, 8. 847, 29. I, 7. 851, 35. de Morib. II, 5.) nominibus τὸ πεπερασμένον et τὸ πέρας, reputandum enim id quod res terminat ipsum terminatum esse debere.

2) Breviter sed perpulchre in hunc finem respondet Aristoteles: ἐοίκασι (*Pythagorici*) περὶ ἄλλου οὐρανοῦ λέγειν καὶ σωμάτων, ἀλλ' οὐ τῶν αἰσθητῶν, Metaph. XII, 3.

p. 104. B.) finguntur, ita ut res numeri ipsi sint (αὐτὰ τὰ πράγματα). Arist. Met. I, 6. p. 848, 33. I, 5. 845, 40. XII, 3. 974, 6. Tota igitur entis forma et qua distinguitur, natura a numeri inhaerentis vi unice pendet et constituitur. Arist. Met. XII. l. l. et I, 5. 846, 6. Quocirca nisi numeri irrationali materiae adjecti essent, nihil omnino rite cognosci ac percipi posset (Philol. ap. Stob. I, 22, 7. p. 456. 460. I, 2, 3. p. 8. ap. Boeckh. p. 58. 62. 141.), nam ἄπειρον per se intelligi nequit, cf. Philol. ap. Boeckh. p. 49. ut paucis dicam, omnis cognitio rerum sub sensus cadentium certa et distincta ad numerum tanquam ducem atque magistrum referenda est, sec. Philol. ap. Stob. I. p. 8. (Boeckh. 140 — 42.). Cum hoc arctissime conjuncta est sententia de numero omnium virtutum fonte Philolaica, qua mendacium quod sobriam praestringeret cognitionem, nullo modo in illum utpote deo cognatiorem ideoque nihil non mali excludentem adspirat, veritas autem ipsi propria et innata est, Philol. ap. Stob. I. p. 10. (ap. Boeckh. p. 145.) cf. Archytam ap. Stob. I, 43, 2. p. 712. Quae reliqua sunt, paulo post subjicientur.

Praeter duo haec principia tertium quodammodo docuerunt Pythagorici, τὸ ἕν, quod Philolaus omnium principium (Ἓν ἀρχὰ πάντων, Jambl. ap. Boeckh. p. 150.), Archytas autem, ut videtur, causam ante causam, affirmant, ap. Syrian. ad Arist. Met. XIII. p. 102. B. (cf. p. 114. Archyt. ap. Stob. I. p. 714.) quocum conjunge alterum locum ad libr. II. p. 7. ubi tamen pro Timolao Philolaum scribendum esse nemo negabit. Illam supremam unitatem intelligit Philolaus deum unicum, perennem, immobilem, h. e. cuncta moventem, a nemine tamen movendum, sibi ipsum similem, ab aliis rebus diversum, Philon ap. Boeckh. p. 151. qui in medio universi igne collocatus per omnem rerum naturam, quam complectitur et in custodia quasi retinet (Philol. ap. Athenag. Legat. pr. Christ. p. 25. ed. Dechair.) inde commeat ac mirificas suas vires diffundit. Cf. Lactant. de Fals. Relig. I, 5. Cyrill. c. Jul. I. p. 30. Philolaicam enim mundi animam (ψυχὰ) ab ipsa universa mente divina sejunctam atque distractam fuisse, cave ne credas, cujus ne vestigium quidem in genuina Pythagorae doctrina deprehendas; Platonis demum temporibus hoc discrimen convenire constat [1]). Difficillima autem

---

1) Orbi enim, quo ingenii animique Graecorum cultura decurrit, congruens erat, Platonem in ea parte disciplinae, quae in rerum investigatione versatur, quamquam in plurimis sine dubio Pythagoram du-

Antea monendum est, a Pythagora et antiquis Italicae scholae alumnis primos tantum decem numeros in philosophia adhibitos esse videri, numeri enim effectus et natura secundum vim, qualis in decade reperiatur, ut contemplandi sint, praecipit Philolaus ap. Stob. I, 2, 3. p. 8. ap. Boeckh. p. 139. cf. p. 146. et quae Brandis. in Mus. Rhen. p. 223. in medium attulit. Decadis porro praestantiam jam supra in Pythagoricis syssitiis cognovimus et postea etiamnum cognoscemus. Quaecunque in mundo nascuntur entia, ex aeternis naturae legibus ut varios gradus, per quos a minimis initiis crescentia ad summam usque maturitatem perfectionemque paulatim et pedetentim progrediuntur, percurrant fixum est. Quum vero numeros totius naturae primos, numerorum elementa, rerum quoque cunctarum elementa esse animadverterint eorumque et affectiones et habitus rebus sensibus subjectis inesse observaverint multos (Arist. Met. I, 5. init.), quid mirum, quod gradatim illam ascendentem formationem ad primos decem numeros audacter quidem sed ingeniose accommodaverunt! Ens nempe nascens in uno apparet involutum tanquam punctum, quo longius igitur procedit formatio, eo magis recedit gradatio ab uno, quo propius autem numerus accedit ad denarium absolutissimum, eo major est ejus vis et virtus eoque perfectius redditur ens. Sed quum jussi simus uberiorem hujus gradationis quamvis hic illic obscurae explanationem ex hoc loco praecidere inque aliud differre tempus, tria modo potiora depromere necessarium duximus. Quodsi in tabula gradationis Philolaica expressum est (ap. Theologum. Arithm. p. 56. ap. Boeckh. p. 157 seqq.), pentadem afferre rebus qualitatem et colorem (ποιότητα καὶ χρῶσιν) h. e. externam formam, ad quinque elementa, quae statuerunt Pythagorei, id spectare puto, ignem scilicet, aquam, terram, aërem et quintam essentiam (πέμπτη οὐσία) vulgo et, ut videtur, recte aether dictam, Philol. ap. Stob. I. p. 10. cf. I, 22, 6. p. 450. Plut. Plac. II, 6. [1]). Haec corpora sub variis geometricis figuris eorum naturam referentibus repraesentabant, igni ut pyramidis speciem habenti, tetraëdri formam, aquae icosaëdri, terrae ut firmo et immobili elemento, cubi, aëri octaëdri, aetheri denique, qui cetera elementa complectitur (ἁ τᾶς σφαίρας ὁλκάς), dodecaëdri dabant, cf. Stob. et Plut. l. l. (Plut. secutus est Eusebius, Pr. Ev. XV. p. 843.). Neminem facile fugit, in his definitionibus, quarum rationem frustra saepius quaeras, cogitationis vim, qua rerum

1) De quinto hoc elemento vid. postea.

imagines vividiore animo concipiebant Pythagorici, plurimum valuisse, vel sic tamen subtilissimum auctoris ingenium merito admirari debemus. Porro paucis tangendum est celebratissimum Pythagoricae philosophiae studium omnia revocandi ad quaternionem (cf. Boeckh. in Studiis T. III. p. 52 sqq.); Philolaus, e. g., discernebat quatuor sedes cognitionis et vitae: cerebrum, cor, umbilicum et genitalia; caput sive cerebrum est mentis, cor animae et sensuum sedes, umbilicus primae ῥιζώσιος et ἀναφύσιος principium, genitalia denique generationis causae; primum homini, animali secundum, tertium plantae, quartum simul omnibus rebus convenit [1]). Philol. ap. Theolog. Arith. c. 4. p. 22. ap. Boeckh. p. 159. Quod quaternionem perfectum facit numerum et venerabilem, progressio est ab unitate per nexum composita (1. 2. 3. 4. ἡ τῆς δεκάδος τετρακτὺς), qua denarius numerorum perfectissimus efficitur [2]). Et quidnam summam hanc quaternionis gravitatem luculentius declararet, quam sanctitas illa et pietas, qua societatis sodales tetractyn venerabantur, ut per eam Pythagorae inventoris nomen usurpare veriti jurare consueverint his versibus:

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσιος ῥιζώματ' ἔχουσαν.

Veterum summum id jusjurandum memorantium locos facile omnes collegerunt Sturzius ad Empedocl. v. 425. 26. p. 672 sqq. et Astius ad Theolog. Arithm. c. 4. p. 168-70., ut nonnullos proferre supersedeam. Denique decadem si consideramus, omnis tam numerorum natura quam cunctarum rerum rationes conjunctae in ea absolutaeque apparent, quum numeri ἔργα et ἐσσία secundum eam, quae in decade contineatur, vis inspicienda atque examinanda sint, adde Aristot. Met. I, 5. p. 845, 46. Magna enim est ejus vis, pergit Philolaus (ap. Stob. I. p. 8.), omnia efficiens et absolvens, divinaeque et coelestis et humanae vitae initium et dux. Quam ob causam non est, quod miremur, Pythagoricos tantum honoris tribuisse denario, ut ad complendum modo eum invenerint multa et exornaverint, quae cultior ac politior insequentis aetatis disciplina ulla

---

1) Anima igitur homini tantum et animali tribuitur; aliter Empedocles Pythagorizans, qui vel plantas ea praeditas esse vult, vid. Alex. ap. Diog. Laërt. VIII, 28. cf. §. 77.

2) Huc spectat, ut jocularia admittamus, χλευασμὸς Luciani in Vitar. Auct. c. 4.

prorsus respuit, antichthona puto et tabulam illam notissimam, qua decem ἀντικείμενα consignata sunt.

Missis, quae Philolaus de paris imparisque ac parimparis numeri natura gnomonumque in mundo efficacitate disseruit in secunda libri parte, reliquum est, alteram priori conjunctam doctrinam, quam mystico-mathematicae theologiae nomine denotare solent, explanemus. Expositum est supra, Pythagoricos in numeris omnia rerum arcana recondita atque reclusa putasse. Quum vero Jonici philosophi deos, quos humanarum rerum moderatores credit vulgus et colit, non despicerent et profligarent, sed partem iis concederent in systemate, Pythagoras, qui ceteroquin summa erga deos pietate sanctimoniaque instillatus fuit, ita hunc morem suscepit et observavit, ut numeris ex iisque constructis figuris mathematicis certos quosdam deos deasque tribuerit. Cf. Procl. in Theolog. Plat. I. cap. 4. Cognitis enim secretis in natura praevalentibus deorum viribus factum est, ut cogitationis calor has abditas vires figurae involucro involveret et repraesentaret. In angulis trianguli, quadrati varias invenerunt Pythagorici virtutes et vires, triangulum e. g., ut prima ex lineis compacta figura, omnis generationis initium est (ἀρχὴ γενέσεως καὶ τῆς τῶν γεννητῶν εἰδοποιίας). Quid? quod Philolaus trianguli angulo quatuor deos: Saturnum, Plutonem, Martem et Bacchum dedicavit, complectens simul omnem quadripartitam elementorum διακόσμησιν, ap. Procl. ad Euclid. Elem. I. p. 46. ap. Boeckh. p. 154. Saturnus enim, subjicit Proclus, omni humidae et frigidae substantiae, Mars fervidae naturae praeest, Pluto vero cunctam terrenam vitam continet, Bacchus denique humidam et calidam procurat generationem. De ceteris vide Philol. ap. Procl. ad Eucl. Elem. I. p. 48. ap. Boeckh. p. 155 — 57. Non dubitandum est, quin Pythagoras non solum in figuris, sed etiam in numeris eandem symbolicam docendi rationem adhibuerit, recentiorum enim scriptorum fragmenta, Moderati inprimis, ejusmodi imaginibus tantopere referta sunt, ut prima certe fundamenta a Pythagora jactata esse persuasissimum habeam [1]). Constat priscorum Pythagoreorum mysticomathematicam theologiam in ineptissimas nugas degenerasse illa aetate, qua Pythagorae jam immutata doctrina cum Platonicorum philosophia in unum conflata est, obliterata enim erat vera dogmatum Pythagori-

1) Copiose de his egit Meursius in Denario Pythagorico, Oper. Tom. IV. p. 6 — 75.

corum cognitio et cum hac simul rectus numerorum usus, vel sic tamen in historia veteris philosophiae nihil in deterius lapsum invenies, cujus non in primis statim initiis deprehendas incitamenta.

Jamjam accingamus nos ad gravissimam totius disciplinae Pythagoricae partem enucleandam illuminandamque.

Duo illa principia, quae modo descripsimus, infinitum et finitum, ex ipso Philolai ap. Stob. I. pag. 460. dicto, natura sua dissimillima atque infestissima sibi sunt, neque unquam amica quadam consensione concordarent, nisi filum utrumque connecteret. Similia quidem et cognata consonantia haud indigent, quae dissimilia vero nec ejusdem sunt generis nec aequalitatis, si quidem ἐν κόσμῳ contineri debent, copulentur illa necesse est. Haec dissimilium conjunctio fit concordia, quam vocant ἁρμονίαν, Philol. ap. Stob. l. l. ap. Boeckh. p. 62. Ἁρμονία δὲ πάντως ἐξ ἐναντίων γίνεται, ait Nicomachus, ἔστι γὰρ ἁρμονία πολυμιγέων ἕνωσις καὶ διχᾶ φρονεόντων σύμφρασις (ex Boeckh. emendat. p. 61.), Nicomach. Instit. Arithm. II. c. 19. p. 59. cf. Theon. Smyrn. Mathem. p. 15. ibiq. Bull. p. 212. Boëth. Arith. II, 32. Harmonia opus est cum ad res naturales ordini suo adsignandas, tum ad vitae humanae instituta harmonicis legibus temperanda et concinnanda, ut quam pulcherrima nascatur compositio et proportio, cf. Alex. ap. Diog. L. VIII, 33. Sic existit ille κόσμος mere Doricus [1]), quem et in mundo et in vita communi postulabat Pythagoras; κόσμος enim ab illo dicitur ἡ τῶν ὅλων τάξις, cf. Schol. in Iliad. p. 95. a. 23. Bekk. vid. Ernesti ad Xenoph. Memorab. I, 1, 11. Interpr. ad Isocrat. Panegyr. c. 48. et Spohn. in Ind. s. v. κόσμ. Harmonia sive musica consonantia adstricta est apte dispositis atque intentis lyrae fidibus, et sicut certis quibusdam musicis rationibus lyrae concentus enascitur, sic iisdem rationibus omnia existentia quamvis dissona composita esse voluit Pythagoras, cf. Panacm. Pyth. ap. Aristid. Q. de Mus. 1. p. 3. Meib. Demonstravimus, finitum esse unitatem, infinitum ἀοριστὸν δυάδα, haec indefinita dualitas, quippe ex duabus unitatibus ipsi illatis gignitur, unitatis mensura terminatur, h. e. 1 : 2, vel ratione consonantiae diapason [2]). Veruntamen

---

1) Nam quis est, qui non memoria repetat Lycurgi celebratissimum κόσμον (τὸν νῦν κατεστεῶτα κόσμον) h. e. illam πολυμιγέων ἕνωσιν a Cretensibus arcessitam, ob quam tanto eum honore venerabantur Spartani. Herodot. I, 65. Cf. Odofr. Muell. Dor. II. p. 6.

2) Diapason continet diatessaron et diapente (συλλαβὰν καὶ δι' ὀξειᾶν),

diapason Philolao nil nisi ipsa harmonia est (vid. Boeckh. in Philol. p. 65. in Stud. p. 58.), duo igitur illa principia diapason, qua versantur consonantia, duorum sonorum instar eadem mensura definitorum, concorditer junguntur ita quidem, ut — quum jam eorum natura sola mentis acie accurate perspicitur et cognoscitur — inde enatus concentus, qui sono caret, non aurium sensu, sed mentis ope excipiatur. Nam toto coelo distat philosopha musices Pythagorica tractatio a vulgari hujus artis studio. Quum Organici, quos vocant, bonos istos viros apud Platonem (de Republ. VII, 531. A. B. cf. Theon. Math. p. 8.) intelligo, qui torquendis manubriis (οἱ ἐπὶ τῶν κολλόπων στρεβλοῦντες) chordas exercent atque explorant, in dijudicandis sonorum differentiis sensibus et auditui omnem, menti nullam (ἀλόγῳ τινὶ τριβῇ), Aristoxenii vero succedentes auribus potissimam, rationi minorem fidem auctoritatemque tribuerent, Pythagoras contra ejusque successores Harmonicorum nomine clari, in investigandis examinandisque symphoniis, quia numeris constant (Censorin. de D. N. c. 10.), quamlibet sensuum efficaciam auditusque κριτήριον fallax prorsus aspernabantur, inquirebant contra in eas mente et ratione, adhibitis numerorum proportionibus, vid. Plut. de Musica. p. 1140. F. Aristid. Q. de Mus. III. p. 116. M. Ptolem. Harm. c. 2. Boëth. de Mus. I, 9. cf. Bullield. ad Theon. Math. p. 202 seqq. Boeckh. in Stud. p. 47 seqq. Enimvero illas proportiones harmonicas, quae in diapason concidunt, quamvis in omnibus, quae numeros habent, sed nihil est, quod iis caret, harmonia deprehendatur, potissimum transtulit Pythagoras ad mundi constructionem, quo universi magnificentiam clarius cognosceremus. Samium

diatessaron sive 3 : 4 habet duos tonos et hemitonium minus, nam intervallum inter 3:4 sive 6:8 praeter duos tonos non plenum hemitonium efficit, diesis igitur est, quam vocat Plato limma, diapente vero sive 2 : 3 ex tribus constat tonis et hemitonio majore, intervallum enim inter 2 : 3 sive 6 : 9 apotome est, et diesi paulo majus (rationem, qua apotome diesi major est, appellat Philolaus comma). Itaque totum intervallum inter 1 : 2 comprehendit quinque tonos et duo hemitonia, quae tamen, si minutias haud relinquamus, non plenum tonum faciunt. Cf. Philol. ap. Nicomach. Harmon. Manual. I. p. 17 et 27. Meib. ap. Stob. I. p. 460 — 68. vid. Macrob. in Somn. Scip. II, 1. *Boeckhii* elegantissimae et planissimae expositiones, quae partim in quaestione de Plat. animae mundanae conformatione, Daub. et Creuz. Stud. T. III. p. 47. seqq. inserta, partim in Oper. de Metris Pindari lib. III, et in Philolao p. 65 seqq. inveniuntur, etiam hanc praeclaram sed nimis diu neglectam antiquitatis partem perpurgarunt et collustrarunt.

in subtilissima hac doctrina Doricam modo adhibuisse harmoniam, non constanter solum tradit antiquitas, sed ex ipsa hujus harmoniae natura jam elucet, quippe firmissimis circumscripta est legibus ceterasque omnes gravitate et majestate exsuperat, cf. Plut. de Music. p. 1136. E. Aristot. Polit. VIII, 7. (Aristot. Paedag. ab Orellio conscripta in *Beiträge aus der Schweiz* p. 114.) Boeckh. de Metr. Pind. III, 8. p. 238. Dolendum vero, quod genuina Pythagorae descriptio coelestium corporum inter se distantiarum interiit, usus erat enim octachordo (Nicomach. Harm. I. p. 9 et 14. Jambl. V. P. §. 121.) [1]), Philolaus prisco heptachordo, quod dicunt Terpandri, omissa quarta chorda (παραμέση) cum tensione vero diapason. Boeckh. Philol. p. 70 seqq. de Metr. Pind. III, 7. p. 205. Ea, quae nunc insequitur Philolaica de mundi constructione doctrina, quam antequam musicum concentum in ipsum mundum transferre possimus, quo arctissima, qua continentur astronomia et harmonia (Theon. Math. p. 7.), cognatio in illustriore luce collocetur, hic tractare debemus, in quantum ipsi Pythagorae adscribenda sit, frustra quaeras, veruntamen cum ex aliis indiciis tum ex ceterorum Pythagoreorum in gravissimis hujus doctrinae partibus consensu colligi licet, a praeceptore eam esse jam traditam, a posteris autem a Philolao potissimum receptam et excultam. Sed et in his leviter magis sunt perstringenda multa, quam curate perlustranda.

Quidquid praestantissimum locum obtineat praestantissimum necesse est, terra vero quum praestantiorem ignem putaverint, non terra, sed ignis mundi centrum ut sit, consequitur. Cf. Aristot. de Coelo II, 13. In universi igitur — cui optima forma convenit, rotunda est enim et globosa, Alex. ap. Diog. L. VIII, 48 et 25. (Arist. l. l.) — medio collocatur ignis, quem vocant, centralis, na-

---

1) Supervacaneum putamus, qua via ad chordotonon clarissimum inveniendum, quo systema musices superstruxisse memoratur, ductus sit Pythagoras, enarrare; res est enim decantatissima, vid. Nicomach. Harm. I. p. 10—14. Jambl. in Nicom. Arith. p. 171. 172. Gaudent. Harm. Introd. p. 13—15. Meib. Jambl. V. P. §. 115. Boëth. I. c. 10. 11. Macrob. in Somn. Scip. II, 1. Id vero haud omittamus, quod hoc musicae studio, ad quod Apollinis cultus proxime valebat, systematis musici amplificator perhibetur. Referunt enim nonnulli, Pythagoram Samium invenisse notas Graecas, quod ante philosophi tempus non factum fuisse, ostendit antiquae musicae peritissimus Boeckhius de Metr. Pind. III, 9. p. 245.

tura sua primo factus (τὸ πρᾶτον ἁρμοσθὲν, Philol. ap. Stob. I. p. 468.), quo totus mundus continetur et in quo, ut saepius dictum, deus omnem vitam per rerum naturam diffundens sedem suam tenet et regnum. Propter hunc, quem occupat ignis locum opportunum, splendidis condecoratur nominibus; est enim universi lar, Jovis custodia, deorum mater (de quo postea), ara, cohaerentia et naturae mensura, Philol. ap. Stob. I. p. 488. ap. Plut. Plac. Philos. III, 11. Aristot. de Coelo l. l. vid. Boeckh. Philol. p. 94 seqq. (cf. Annal. Heidelb. 1808. p. 112. 113.) adde ejusd. Comment. de Plat. syst. coel. glob. etc. p. 15. not. Praeter descriptum medium ignem statuebat Philolaus (ap. Stob. l. l.) alium supremum, qui complecteretur omnia [1]). Circum lumen vero centrale terrenis nunquam conspiciendum hominibus rotantur decem coelestia corpora, quae a majoribus pulchrioribusque inhabitantur naturis (Philol. ap.

---

1) Quid hoc sibi voluerit Pythagoreus, difficillimum est dictu. Vocat eum Olympum, in quo εἰλικρίνεια τῶν στοιχείων sit. Aristoteles (Physic. III, 4.), quem supra laudavimus, dixerat, Pythagoricorum infinitum spiritum extra mundum circumfusum esse, hoc fulcitus opinatur Boekhius, illum cingentem ignem esse ἄπειρον (in Philol. p. 98. probante Brandisio in Mus. Rhen. p. 221. not. 36.). Quod vix credam. Philolai enim descriptio universi pertinet tantummodo ad ea, quae intra nec extra mundum sunt, et si intellexisset ἄπειρον, certe non igneum, sed obscurum et tenebrosum, quemadmodum id sibi finxisse videntur Pythagorici, nominasset. Quid cogitandum sit haud dubie Olympi cognomine indicatur. Supra monuimus, primorum physicorum fuisse, easdem, quas de diis eorumque sede vulgus habuerit opiniones, cum suis de universo placitis in unum conjungere nec despicere; Pythagoras vero et Pythagorici, quos ut sanctos deorum cultores semper cognovimus, antiquitus creditam deorum sedem ex doctrina sua certo non depellebant, insignem potius locum ipsi tribuebant. Itaque Olympus, universi terminus, deorum iis est sedes. Quae vero in deorum loco ponuntur, ceteris perfectiora sunt ea, inde εἰλικρίνεια τῶν στοιχείων. Quodnam autem elementum significat Philolaus? Vidimus quintam essentiam, quam aetherem putemus, cetera elementa complecti, inde ἁ τᾶς σφαίρας ὁλκάς. Supremum ideo obtinet locum. Quid multa? nonne Alexander ap. Diog. L. VIII, 26. suffragatur nobis, dicens: τόν τε περὶ τὴν γῆν ἀέρα, ἄσειστον καὶ νοσερὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα θνητά· τὸν δὲ ανωτάτω, ἀεικίνητόν τε εἶναι, καὶ καθαρὸν, καὶ ὑγιᾶ· καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, ἀθάνατα, καὶ διὰ τοῦτο θεῖα. Dux mihi fuit Dissenius, cujus eximiam censuram de Ritter. opusc. videsis in *Götting. gel. Anz.* 1827. p. 834 et 835. (contra Ritterum p. 188. not. 4.)

Stob. I. p. 562. [Stobaei errorem egregie convicit Boeckh. in Philol. p. 132. seqq.] Alex. ap. Diog. L. VIII, 27. Plut. Plac. Phil. III, 13 et 30. ex quo Euseb. Pr. Ev. XV. p. 848. cf. Theodor. Serm. IV. p. 530. C. ed. Par.), coelum scilicet h. e. orbis stellarum fixarum, planetae, sol, luna, terra et terra opposita (ἀντίχϑων). Hanc terram oppositam, cujus nihil simile invenias in aliorum philosophorum doctrina, ideo a Pythagoricis eleganter magis quam vere excogitatam existimat Aristoteles, ut denarius coelestium globorum numerus expleatur, propter summam dico hujus numeri sanctitatem, Arist. de Coelo II, 13. Metaph. I, 5. Decem autem illa aeterna corpora venerantur mundi ignem, et quemadmodum sollemnis saltantium chorus circa ardentem aram, sic illa circum universi larem choros ducunt, χορευοῦσι, aptissima ut utar Dissenii comparatione, cf. ej. cens. saepius laud. p. 836. Philol. ap. Stob. I. p. 488. Ad chorum hunc celebrandum disposita sunt certis harmonicis intervallis et si stata ratione moventur, sponte (Porph. §. 31.) nec Sirenum interventu accinentium divinum concentum edunt, quem homines a teneris negligunt, Pythagoras vero solus ineffabili quadam divinitate ingeniique profunditate adornatus, auditu et intellectu percipiebat, Arist. de Coelo II, 9. Maxim. Tyr. Diss. XXXVII, 5. Porphyr. §. 30. Jambl. §. 65 et 66. Cic. de Nat. Deor. III, 11. Somn. Scip. c. 5. Quintil. I, 10, 12. Macrob. in Somn. Sc. II, 1. De iis, quas aetas tulit intervallorum scalis, antiquis iis quidem et ad intelligendum apertis a Pythagorae tamen temporibus multum removendis, unam tantum ob perspicuitatem, qua servata est, proferre juvat [1]). Plinius (Nat. Hist. II, 20.) tradit: "Sed Pythagoras interdum ex „musica ratione appellat tonum, quantum absit a terra Luna. Ab „ea ad Mercurium, spatii ejus dimidium: et ab eo ad Venerem fere „tantundem. A qua ad Solem sesquiplum: a Sole ad Martem, to„num, id est, quantum ad Lunam a terra. Ab eo usque Jovem „dimidium, et ab eo ad Saturnum dimidium, et inde sesquiplum ad „Signiferum. Ita septem tonos effici, quam diapason harmoniam vo„cant, hoc est, universitatem concentus." Plinium errore lapsum, nec septem tonos, sed sex et duo limmata sive diapason et tonum effici, nec septem tonos diapason harmoniam sed quinque tonos et duo lim-

---

1) Ceteros musicos ordines collegit et explicuit Boeckhius de Plat. anim. mund. conform. in Stud. T. III. p. 87 seqq. Cf. Comment. de Plat. syst. coel. glob. etc. p. 23.

... in Stud. p. 89. Cete-
... ordinem ex tribus
... hoc modo:

T..ra.
L..a.
..rcurius.
V..us.
Sol.
Mars.
Jupiter.
Saturnus.
Signifer (Orb. stell. fixar.).

... modo fit, ut mundum mu-
... concinnatum ac compositum cognosca-
... nos ad alteram Pythagoricae philo-
... animo agit, exponendam.

... probatum est, Pythagorae deum per naturam
... et commeantem esse animum, porro demon-
... centrali igne collocatum fixumque vinculis
... tenere mundum. Ex hac universa mente
... animos habemus, sunt enim opificium aeterni dei
... inserti, Cicero de Natura D. I, 11. de Se-
... 7. de Divinat. I, 49. Horat. Sat. II, 2, 79.
... Plac. IV, 7. Diog. Laërt. VIII, 28. Stob. I.
... ap. Claud. Mam. II, 7.). Cf. Pindari Thren. frag. 2.
... explic. p. 650. Qua quidem distractione hu-
... animorum nec adeo discerpi et lacerari deum, quod argu-
... Cicero (de Nat. D. l. l.), nec quum miseri animi essent,
... contingeret, tum dei partem esse miseram, accurata
... cognitione convincitur. Sed quum deorum animi ex ipso
... prognati sint (μήτηρ θεῶν sec. Philol. vid. supra), non
... ut nostri iis inferiores ex eodem hauriantur fonte ac
... Sed potius divinae lucis repercussus (ἀνταύγεια τοῦ
...), quippe illius radios recipit, indeque acceptum
... calore ad nos remittit (Philol. ap. Stob. I, 530.),

deprimit et quasi demergit humanos animos atomorum, ut videtur, instar (ξύσματα), in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium, cf. Arist. de Anima I, 2. Themist. in h. libr. p. 66. A. Anima vero diligit corpus, cui per numerum et immortalem convenientiam inditur, nam nisi ipsi alligata esset, sensibus tanquam satellitibus suis uti non posset, Philol. ap. Claud. Mamert. II, 7. ap. Boeckh. p. 177. Ad descriptionem quod attinet animi Pythagoricam, cautio adhibenda est praecipua, ne in tanta decretorum varietate Italicae familiae tributorum tantisque ipsorum scriptorum erroribus, quae Academiae sectatoribus Stoicisque propria, Pythagoreis vero placita partim, partim supposita innotuerunt, ut genuina salutemus ac repudiata quaestione temere arripiamus. Philolaus, quod supra tetigimus, atque antiquissimi Pythagorei discernunt antiquo modo duas animi partes; alteram rationis expertem faciunt, ψυχὰν καὶ αἴσθησιν, alteram participem, νοῦν, ap. Theolog. Arith. p. 22 (Boeckh. p. 159.). Vid. Archyt. ap. Stob. I. p. 784. cf. Alexandr. ap. Diog. L. VIII, 30. Cic. Tusc. Q. IV, 5. Max. Tyr. Diss. 33. c. 5. Rationis expers, quam in corde ponunt (Philol. l. l. Alexandr. ap. Diog. L. l. l. Plut. Plac. IV, 5. Pollux II, 4. §. 226.), ad ea, quae sub sensus cadunt, refertur, omnes igitur motus turbidos tum irae tum cupiditatis rationi contrarios inimicosque continet, eademque hominum libidinibus indulgentium atque insipientium (ἀμύητοι) anima similis est perforato cado, ἅτε οὐ δυναμένη στέγειν δι' ἀπιστίαν τε καὶ λήθην. Vid. Plat. Gorg. p. 493. A. seqq. Boeckh. in Philol. p. 186. Altera pars cerebro insidens (Philol. ap. Theol. l. l. Diog. L. l. l.) cognoscendi judicandique est organum, quae tamen, ne juncta cum bruta anima pravis perturbationibus a libera rerum cognitione avocetur, lyrae strepitu sedatur et placida quadam consonantia coalescit [1]). Plut. de Virt. moral. p. 441. D. Enimvero quum Deus totam naturam ex numeris et harmonia conformaverit, hominis autem sit, perscrutari eam et cognoscere, necesse est ut mens eadem ratione instructa sit. Qua de causa cognatione quadam cum rebus (συγγένεια πρὸς φύσιν) con-

---

1) Quocirca animus ita temperatus Philolao est harmonia; quod dogma a Simmia ad tractandum Socrati propositum quale sit, ex ipsa sapientis confutatione satis compertum habemus, vid. Plat. Phaedon. p. 91. C. seqq. cf. Arist. Polit. VIII, 5. fin., ejusdem Paedag. ap. Orell. p. 106. Macrob. in Somn. Scip. I, 14.

junctus est homo, qua efficitur, ut simile simili cognoscatur. Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 92. Boeckh. in Philol. p. 142 et 191. Humana igitur mens intelligit deum ejusque vires, quatenus ille per rerum naturam diffusus est. Exinde patefit, quam necessarium sit homini sapientiae studium, σοφία enim, quae in intelligendis rebus divinis et coelestibus certo ordini parentibus versatur et ipsa perfecta est (Philol. ap. Stob. I. p. 490. Boeckh. p. 102.), ad deos homines adducit melioresque eo reddit et perfectiores, cf. Wyttenb. Animadv. ad Plut. de Superst. p. 1026.

Ad hanc de animo doctrinam Pythagoricam proxime accedit celeberrimum de animarum migratione dogma. Postquam paucis jam delineavimus historiam hujus dogmatis, quantum quidem ad Pythagoram attinebat, institutae disquisitionis ratio nunc postulat, ut philosopho magis modo id consideremus et pertractemus. Attamen priusquam hoc aggrediamur, ipsius Pythagorae animae migratio examinanda est [1]). Samium ait Heraclides Ponticus de se ipso dicere

1) Antiquam illam, quam ab Hellespontiis audiverat Herodotus narrationem de Zamolxide, Pythagorae servo, qui libertate donatus feroci Thracum populo animum post mortem non interire tradidisse, et ab illo pro Saturno cultus dicitur (Strabo VII. p. 297 seqq.), ex Pythagorica de anima doctrina potissimum enatam esse equidem credam. Multo enim antiquiorem Pythagora fuisse Zamolxidem addunt, qui curiosius in tempora inquisiverunt, Hellanicus et Herodotus, cf. Hellanic. ap. Suid. et Etym. Magn. s. v. Ζάμ., Herod. IV, 94-97. ibiq. Wessel. et Valken. — De Pythagorae animae migratione mirum quantum discrepant relata, quae discrepantia inde exorta videtur, quod quum jam mature interierit ipsa Pythagorae narratio, tum posteri vel ipsi Pythagorei ignorantes, quae fuerit vera metempsychoseos indoles, vario eam modo restituere et exornare studuerunt. Aetatem scriptorum haud antiquissimam eorumque fidem non omni ex parte suspicionis crimine liberandam esse, post accurate institutum examen libenter confitemur. Heraclidis Pontici ap. Diog. L. VIII, 4. 5. testimonium antiquissimum quidem est, sed haud locupletissimum; infringitur enim eo praesertim, quod Euphorbi anima in plantas migrasse perhibetur, quod decretum ab aliis quidem pro Pythagorico celebratum (Plin. N. H. XVIII, 12. Theodor. Haeret. Fab. V. p. 297. A. ed. Par. Schol. in Hom. Iliad. p. 468. A. Bekk.), ipsi tamen Pythagorae alienum, Empedocli potius proprium fuisse, jam significavimus. Cf. Sturz. ad Empedocl. p. 466 et 353 seqq. Insequuntur Clearchus et Dicaearchus ap. Gellium IV, 11, 14., quorum narratio a genuina remotior et serioribus commentis superstructa videtur; vide supra. Relicta minoris momenti auctorum turba, quos tempore enumeravit Carus de Hermo-

solitum, olim se fuisse Aethalidem, Mercuriique filium putatum; hunc a patre pro munere accepisse, ut vivens et vita defunctus omnium quae ferent, recordaretur; procedente tempore ejusdem animam intrasse in Euphorbum Panthoïdem, hunc scivisse, se fuisse jam Aethalidem; Euphorbi autem a Menelao interfecti animam migrasse in Hermotimum, tum in Pyrrhum, piscatorem Delium vel Cretensem, denique in se ipsum, et meminisse se pro Mercurii munere varias animae ex uno in aliud corpus migrationes. Cf. Heracl. P. ap. Diog. L. l. l. (Tertull. de Anim. c. 28. Origen. Philos. c. 2. p. 881. A. ibiq. intr. Porphyr. V. P. §. 45. Schol. ad Soph. Electr. v. 62. [pro Πύθιος legendum est Πύῤῥος, observante jam Menagio ad Diog. L. VIII, 41.] Schol. ad Apoll. Rhod. l. l.). [1]). Curiosius scrutantem hujus narrationis causam et indolem haud latet interior quidam nexus bene excogitatus Pythagoram inter et sacra Apollinaria, insequenti tamen aetate obliteratus et quasi abstersus. Primum de Aethalide, notissimo Argonautarum praecone, ἑτερημέρῳ, non dubium est, quin, sicuti jam Pherecydes notavit, ideo principem locum obtinuerit, quod pro Mercurii Χθονίου munere ejus anima modo apud inferos nunc in terra versabatur et memoriam habebat omnium. Pherecyd. ap. Schol. ad Ap. Rh. l. l. ap Sturz. Fragm. p. 208. Celebrior est Euphorbus propter Apollinis sacerdo-

timo ap. Fuelleborn. in *Beitr. z. Gesch. der Phil.* fasc. 9. p. 114. not., memoratu dignissimus est Scholiasta ad Apollon. Rhod. I, 645., qui in prima historiae parte ad Pythagoricos provocat, in altera alios aperte sequitur, illis inferiores haud multum ab Aristotelicis dissentientes.

1) Passim transposita sunt μετεμψυχούντων nomina, haud raro ipsa auctorum negligentia; quod non moramur. Dispicientibus vero nobis quae Peripatetici ap. Gell. l. l. memoriae tradiderunt, ac componentibus simul cum iis, quae ceteri scriptores servarunt nomina, inaudita illa et corrupta visa sunt. Nam Pythagoram ajunt post Euphorbum fuisse Pyrandrum, deinde Callicleam, deinde feminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerat Alce. Olim conjeceram, pro "Pyrandrum deinde Callicleam" scriptum fuisse "*Πύῤῥον, ἄνδρα Δήλιον*, tum Callidem," hunc enim nominat Hieronym. adv. Rufin. III. c. 10. Sed scripserat procul dubio Hieron. mutato ordine Aethalidem, quem Gellio obtrudit Menag. ad Diog. L. VIII, 5.; immerito dico. Quapropter bene conjecit Van Staveeren. in Misc. Observ. Belg. Vol. X. T. I. p. 392 et 93. *Πύῤῥον, ἄνδρα Δήλιον, ἁλιέα*, cui favet corrupta Cod. Reg. lectio halidena. Quid cum meretrice sibi voluerint, quam Samiam vocat Schol. ad Apoll., equidem nescio.

tium, quod Panthus Othryades ejusque familia belli Trojani temporibus procuraverat, Virgil. Aen. II, 318 seqq., ibiq. Serv. cf. 430. (ex Arctino, ut putat Odofr. Mueller.). Quid? quod Apollo Panthoidas omnimodo tuetur et servat. Quapropter sponte in oculos incurrit, quid causae sit, cur Pythagoras, quem Crotoniatae Apollinem Hyperboreum salutarunt, nos vero in vita ac doctrina sacris Apollinaribus deditissimum deprehendimus, ex omni heroum turba hujus dei sacerdotem sibi elegerit [1]). Idem agnovit inter alia ἀναθήματα affixa clypeum Euphorbi in templo Junonis Argivae a Menelao suspensum ut suum (Horat. Od. I, 28, 10. ibiq. Mitscherlich. Ovid. Metam. XV, 160. Pausan. II. c. 17. Porphyr. §. 27.) et crebro Homeri versus (Il. XVII, 51—60.) in Euphorbi mortem ad lyram cantasse dicitur, Jambl. §. 63. Quae deinceps afferuntur nomina, posterioribus temporibus ficta et illata puto, praesertim quum multi scriptores omittant, quae ceteri servarunt, alii alia addant, et ipsa causa, cur electa sint, partim insolita, partim suspecta videatur. Ex paucissimis veterum locis, quos de Hermotimo Clazomenio collegit Carus, hoc quidem certum est, eum ante Anaxagoram subtilioris de animo menteque doctrinae initia posuisse (Arist. Met. I, 3. quem exscripserunt Sextus Emp., Alexander Aphr., Philoponus et Elius Cret. cf. Carus p. 72 seqq.); idem fecisse Pythagoram, antea vidimus. At enimvero Hermotimus quovis fere tempore vani magis et ridiculi hominis, quam subtilis disputatoris nomine distinctus erat [2]); quod si reputamus, parum idonea quam attulimus causa, nobismet ipsis videri debet, probabilior fortasse ea, quam Carus (p. 125.) proposuit. Scilicet ex etymologia vocis Ἑρμότιμος totam fabulam consarcinatam esse putat vir doctissimus, quum Mercurius propter munus Aethalidi filio datum atque ita ceteris, qui herois animam susceperunt, haereditate quasi traditum, primas agat partes, Scholiasta vero ad Apoll. loco, quo plurimi Hermotimum collocant, quendam Mercurii filii nomine insignitum substituat. Quae si vera sunt (quis enim in tanta rerum obscuritate verum decernere potest!), ad Pythagorae narrationis exemplum effictum puto, quod Heraclides narrat, Clazomenium, ut fidem faceret anteactae vitae, Euphorbi clypeum, quod jam putrefactum Apollini dedicaverit Menelaus, apud Branchidas agno-

1) Primus hanc explicationem proposuit Odofr. Muellerus in eleganti Criseos Mytholog. Specimine, excuso in Classical Journal Vol. 26. Nro. 52. pag. 314. cf. Dor. I. pag. 221.

2) Multa quidem summa inimicorum malevolentia et livore divulgata videntur.

visse ap. Diog. L. VIII, 5. Sed qui factum est, ut piscator Delius vel Cretensis antea susceperit Pythagorae animam? Ratio in promptu est; qui philosophi conjunctionem cum sacris Apollinaribus perspexerat, facile Delium vel Cretensem, apud quos vel maxime illa floruisse omnes sciunt, interponere poterat. Sufficiant haec; inspiciamus ipsum dogma ejusque indolem.

Retractanda sunt Aristotelis verba (de Anima I, 2.), quibus expressum est, quosdam Pythagoreorum animas putasse ξύσματα in aëre versantia. Ex his formationis initium et progressum ita cogitari velim: simulatque illa ex universo delibata corpuscula in terram demissa sunt, totum aërem complent (Alex. ap. Diog. L. VIII, 32.) et circumvagantur, corpora intratura, in quae ex Orphicorum disciplina ventis immittuntur (Arist. de Anima I, 7. p. 628, 17. cf. quae collegit Lobeck. in Aglaoph. I, 755 seqq.). Iidem docuerunt (Pindar. Fragm. Thren. ap. Plat. in Menone p. 81., unde Stob. Florileg. T. II. p. 148. ed. Gaisf. ap. Boeckh. Fr. 4.) [1]), corpore expulsas animas ingredi in Orcum, in quo Proserpina pristinae culpae poenam sumat (τὰ ὑπὸ γῆς δικαιωτήρια ap. Plat. in Phaedr. p. 249. cf. Phaedon. p. 70. C.). Pythagoricos in eundem locum deduxisse animas, etiamsi id non significatum esset ab Aristot. Analyt. Poster. II, 11. ibiq. Philop., necessario consequeretur ex ista metempsychosi altissime inhaerente

1) Pindarum ea, quae de animarum migratione earumque post mortem statu protulerit in Olymp. II. v. 60 seqq. et Frag. Thren. IV, non finxisse, sed certam quandam doctrinam a Pythagoricis decretis passim discrepantem secutum esse, Boeckhius et Dissenius, Pindaricae poëseos peritissimi, jam agnoverunt. Pindarus enim, dicit Dissenius, tractat rem plane ut alias antiquas fabulas, nec pro novitio philosophorum placito habuisse videtur, sed pro vero et certo mytho; in quam ille opinionem adduci potuit Orphicorum carminibus, quorum dogmata pro antiquis habebantur propter Orphei nomen; ad Olymp. II. p. 35. Uberius de his disseruit Hoeckius (de Ins. Creta III. p. 207 seqq.), pariter demonstraturus e Pindaricarum cum Pythagoricis sententiarum comparatione, Thebanum epica Orphicorum carmina respexisse; quo edoctus libentissime ipsi accedo. Displicuit vero argumentandi ratio. Dum Orphicum sive Pindaricum Pythagorico contrarium dogma ostendit V. C., haud recte, opinor, exponit et perpendit Pythagoricam docendi sentiendique rationem. Putare enim videtur, Pythagoram de peregrina doctrina nihil immutasse, ita ut purgationem Aegyptiis incognitam, a Graecis vero illatam, ignoraverit; vid. pag. 210 et 211. Verum vel philosophi migratio docuit, totam doctrinam Graecorum indoli accommodatam esse ab ipso Pythagora.

notione. Hic commorantur, donec praescriptum temporis circuitum expleverint, quem ad nonum annum definiisse videntur Pythagorici [1]), quo peracto egrediuntur locum inferum *ἁγνισθέντες* et rursus per aërem corporis figuram retinentes vagantur, vid. Alexandr. ap. Diog. L. VIII, 31. quem plurimi perperam interpretati sunt, cf. Wyttenb. de Immort. Anim. Opusc. Sel. p. 191. Nunc ingrediuntur pro aestimata superioris vitae ratione in quaevis hominum animaliumque corpora *κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους*, ut refert Arist. de Anima I, 3. (Xenophan. ap. Diog. L. VIII, 36.) [2]). Animae enim vitiis contaminatae commaculataeque haud dubie in brutorum corpora detruduntur, quae quum ad bonam frugem reductae sint, in homines redire possunt (Plat. Phaedr. p. 249. ibiq. Ast. Theodor. Haeret. Fab. V. p. 272. D.), insanabiles autem et impurae a Furiis adstringuntur vinculis haud perfringendis et meritas luunt poenas, cf. Alex. ap. Diog. L. l. l. Jambl. §. 178. (Arist. Analyt. Post. l. l.). Feliciorem sortem nanciscuntur ac pulchriorem quae antegressae vitae contagione immunes manserint animae, fiunt reges, athletae, sapientes, vates, poëtae, medici et duces in posterum *ἥρωες ἁγνοὶ* vel *δαίμονες* ab hominibus appellati, ap. Pindar. Thren. Fr. 4. v. 4. ap. Empedocl. Fragm. v. 407. cf. Plat. in Phaedr. p. 248. Varro ap. August. de Civ. Dei VII. cap. 6. Plut. Placit. I. c. 8. Probabile admodum mihi videtur, quod conjecit Dissenius (ad. Pind. Ol. II. p. 36.), illarum ter repetitam animarum migrationem, quam statuunt Pindarus (Ol. II, 68.) et Plato (in Phaedr. p. 249. A.), eandem Pythagoreis placuisse. Finito demum circuitu (*περιπόλησις, κύκλος ἀνάγκης*, Diog. L. VIII, §. 4 et 14.) purgatae animae a Pindaro in Elysium

1) Pindarus enim (Thren. 4.) animarum commorationem in locis inferis ad cyclum chronologicum *ἐνναετηρίδος* constituit; quid prohibet, quo minus ponamus, Pythagoram ad Apollinem omnia revocantem idem expiationis tempus statuisse?

2) *Περὶ δὲ τοῦ δεξομένου σώματος, οὐδὲν ἔτι προσδιορίζουσιν, ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους, τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα.* Verba sunt Aristotelis ab aliis aliter explicata. Stagiritam non primum animae in corpus introitum, sed alternam *γένεσιν* ideoque metempsychosin significare, mihi quidem persuasissimum est vel eam ob causam, quod nemo unquam Graecorum illum introitum in numerum mythorum retulit, at illas ex alio in aliud corpus migrationes. Jambl. §. 178. Cf. Philopon. ad Arist. Anal. Post. p. 87.

deducuntur (cf. Dissen. ad Ol. II, 70. p. 36. et ad Thren. Frag. 3. p. 631. addas Plat. de Rep. II. p. 363. C. D. [Plut. Comp. Cim. c. Luc. c. 1.] Phaedon. 69. C. ibiq. Stallb.), a Pythagoreis contra in altissimum locum, ibique diis propiores vitam agunt incorporalem, Alexandr. ap. Diog. L. VIII, 31. Claud. Mam. de Stat. An. II, 7.[1]). — Luce clarius est, hanc μετεμψύχωσιν, quam melius animae μετενσωμάτωσιν dicendam esse recte monet Olympiodorus (ap. Wyttenbach. ad Plat. Phaedon. p. 81. E. p. 210. cf. Plotin. Ennead. IV, 8.), neutiquam fuisse immortalitatem animae [2]), sicut de Pherecyde referunt Cicero (Tusc. I, 16.) de Pythagora Ovidius (Met. XV, 158 et 171.), multique alii antiqui scriptores; definiti sunt enim temporis circuitus, quibus peractis peracta est migratio. Cf. Serv. ad Aeneid. III, 68. Porro nemo Graeca cogitandi sentiendique ratione imbutus ignorat duplicem illum huic dogmati subjectum sensum. Homines impios et sceleratos qua ratione melius ab iniqua ac flagitiosa vitae consuetudine avocare poterant philosophi, quam poenae metu ab iis repetendae (κρίσις τῶν ψυχῶν, Jambl. §. 179.)? Ab altera parte spectat ad veram κάθαρσιν animarum ad beatiores sedes adspirantium. Nam non cogitarunt illas sine ullo fructu et causa vage errare et commorari in locis inferis, sed potius ea lege Proserpinae regnum intrare perfectioraque corpora permeare voluerunt, ut corrigerentur, et rite expiarentur, donec tali purgatae disciplina (τῇ τοιᾷδε καθαρθεῖσαι παιδείᾳ Theodor. Haeret. Fab. V. p. 272. D.) in stellas abire possent. Heracl. P. ap. Diog. L. VIII, 4. Theodor. Haeret. Fab. I. c. 5. Quam apte illa καθάρσεως notio cum sacris Apollinaribus cohaereat, nunc in aprico est.

Restat, ut brevi absolvamus, quae de divinatione agit, doctrinam arctissime cum antecedente conjunctam et ab ipsa collustrandam. Humanos animos divinae mentis particulas esse et totum aërem complere, scriptum est antea, qua quidem naturali conjunctione cum deo inita habent quosdam divinae naturae igniculos, quibus aëris

1) Vitam incorporalem in mundo agere summum est fastigium, ad quod assequendum vitam terrenam dirigat homo; itaque voluntariam sibi consciscere mortem, gravissimum putat delictum Philolaus ap. Plat. Phaedon. p. 61. C. E. 62. B. (Boeckh. p. 178. seqq. cf. 31. 32.); homines enim sunt a diis in carcere quasi constituti, ex quo injussu dei haud decedendum est; vid. Plat. Phaedon. l. l. ibique Stallb. Cic. Cat. c. 20. Tusc. I, 30. Ast. ad Plat. Phaedr. c. 30. p. 317.

2) Quod satis demonstratum est in Platonis Phaedone.

quasi flatu accensis res futuras praesentiunt, Alexandr. ap. Diog. L. VIII, 32. Homo igitur praeter modum affectus atque illo divino furore percitus daemonis naturam sentit, qua non solum deorum voces, sed etiam hominum, quae vocant omina observat. Haec est genuina Italicae philosophiae innata divinatio, cui magnam auctoritatem tribuerunt Pythagoras ejusque successores. Cf. Cic. de Divinat. I, 3 et 46. Inde explicanda sunt Samii, qui ipse augur esse voluit, teste Cicerone (de Divinat. I, 3.), vaticinia, a superstitiosa tamen recentiorum scriptorum aetate in immensum aucta, quibus omnino fidem abrogare difficillimum est factu.

Exposita hac altera multis obstructa difficultatibus, quantum pro virium tenuitate fieri potuit accurate, Pythagoricae philosophiae parte, ad tertiam haud minimi momenti, quae in doctrina morali versatur, nos convertamus illustrandam, qua propius adducimur ad internam, quam dicunt, Pythagoricae societatis vitam animo informandam. Nam quae supra de Pythagorae institutis protulimus, ad externam potissimum sodalitii conditionem spectabant, inconveniens igitur fuisset, summa ethices dogmata a philosopho proposita, etsi plurima in discipulorum vita expressa jam cognovimus, tradere et explicare, quum autem in philosophiae studio etiamnum versemur, opportunus hic est de iis disserendi locus. Rectissime observat Aristoteles, ante Socratem primum fuisse Pythagoram, qui de virtute disputare aggressus esset, non rectam vero, adjicit, et virtutibus aptam inquirendi rationem eum iniisse, quippe qui ad numeros eas retulisset; justitiam putasse numerum pariter parem h. e. mutuam perpessionem, τὸ ἀντιπεπονθὸς Arist. Magn. Moral. I, 1. de Morib. V, 8. Mag. Mor. I, 34. Macrob. in Somn. Scip. I, 5. sub fin. Alio contra loco excusat quasi Stagirita Samii errorem eo, quod illam, quae antecesserit Socrati aetatem, dialectica inducendi et definiendi vi tanquam scientiae principio (ἀρχὴ ἐπιστήμης) destitutam fuisse contendit, Metaph. XI, 4. (I, 6.). Nihilominus fateri debemus, unum illud dictum, quod e philosophiae Pythagoricae penetralibus haustum per totam sodalium vitam regnat et principatum tenet, virtutem esse harmoniam, vitium autem dissonantiam (Alexandr. ap. Diog. VIII, 33.), aut quod philosophus dixisse fertur, sequere deum (Stob. II. p. 66. Plut. de Prof. Virt. p. 81. E. de Audit. p. 37. D. Clem. Alex. II. p. 390. D.), summum, quod Graecorum philosophi unquam proposuerint, disciplinae moralis placitum esse, animo fortasse magis divinatum, quam mentis acie penitus perspectum. Eodem

cum placito nescio quo concordat quod omnium ore pro **Pythagorico** habetur, humanae vitae bivium per Y literam descriptum, cujus ramus sinistrae partis, qui devexior est, propterea quod facilem praebet ascensum, vitam vitiis deditam, dextrae vero, qui arduus et difficilis ad ascendendum, virtutis vitam designat, quia illius ampla, hujus angusta via est. Cf. Pers. Sat. III, 56. ibiq. Plum. pag. 273 sqq. Hieronym. de Inst. fil. T. I. p. 51. ed. Par. Serv. ad Aen. VI, 136. 295., inpr. Schol. ad Terent. Andr. ex Cod. Hal. I, 1, 27. p. 17. ed. Bruns. et quae collegit Muenter. in lib. "*die Religion der Babyl.*" p. 126 seqq. Amicitiam, quae in quotidiano sodalium convictu supremum obtinebat locum, in doctrina morali haud dubie virtutum primam et praecipuam putavit Pythagoras; est enim harmonica aequalitas (Alexandr. ap. Diog. L. VIII, 33.), qua fit, ut unus evadat e pluribus et amicorum sint omnia communia; vid. quae de hoc supra disputavimus. Et, nisi omnia me fallunt, recte mihi videor illud summum et arduum vitae fastigium, quod sanctae ac perpetuae amicitiae foedere assecutum putarunt, ex tabula gradationum Philolaica cognoscere, qua in octonario demum, ultimo humanae perfectionis gradu apparent ἔρως et φιλία, ap. Theolog. Arith. p. 56. (ap. Boeckh, p. 158., causam se ignorare profitetur p. 159.). Veruntamen quae modo de mutua dogmatum cum vita conjunctione attulimus, ne sibi contradicere videantur, iterum moneamus, quemadmodum omnia Pythagorae placita, ita quidquid de moribus et virtutibus proposuerit, non ipsius philosophiae, ut penitus in ea delitescerent disciputi, sed usus causa, ut eam adhiberent ad vitae rationes, ab eo tradita esse [1]). Quocirca plurima pars doctrinae moralis praeceptis involuta videtur, quod tum non improbabimus, si illum modo philosophiae finem animo reputamus. Haec celeberrima sunt Pythagorae σύμβολα, Laconicis dictis aut, sicut veteres dicunt, Apollinis oraculis similia (Jambl. §. 161. 247.), h. e. brevissima, dignitatis gravitatisque plenissima et sensu varia. Quodsi omnium symbolorum proprium est, jubere et pectus concutere, primo quidem adspectu animum suspendere, intentius vero perspecta justoque modo evoluta suaviter eum tangere et delinire, patet, ponderosam linguae Pythagoricae gravitatem non itidem sic imo vehementius nos affectos red-

1) Doctrinam moralem arctissime connexam esse cum disciplina, quam dicunt, civili, et alteram alterius principiis niti, una est et per totam antiquitatem perfusa sententia.

dere, Jambl. §. 105. 227. 162. In tanta symbolorum copia, quae Pythagorae nomine circumferuntur, vera a suppositis secernere non est humani ingenii, plurima referunt antiquam formam, non omnia antiquum sensum. Itaque prorsus supervacaneum putamus, nonnulla hoc loco congerere, praesertim quum scriptores, e quibus servata haurienda sunt, mox indicaturi simus; attamen quo in universum pertineant, ut declaremus, a nobis requiritur. Virtutem scilicet et justitiam exercere, contraria fugere, deos sanctissime colere, parentes et beneficos prae ceteris adamare, amicos deorum instar venerari familiariterque cum iis et concorditer versari, vitam luxuriosam, mollem ac viro indignam profligare, in omnibus antiquam speciem prae se ferentibus ethices praeceptis commendatur. Incredibile est, quod Platonici tradunt, Pythagoram symbolicis praeceptis tales subjecisse explicationes, quales memoriae sunt conservatae; maxima enim ex parte frigidae et ineptae sunt, atque ipsorum Platonicorum ludibria. Cf. Jambl. §. 86. [1]). Incredibilius autem, ipsum Pythagoram duplicem iis supposuisse sensum (ἐπαμφοτερίζειν), moralem alterum, alterum philosophico-religiosum, ut ille exotericis, hic esotericis tantum pateret. Creuzer. Symbolic. T. I. p. 104. ed. sec. Enimvero hanc Aristotelicam discipulorum divisionem prorsus ignorabat Pythagoras [2]), nec e variis unius symboli explicationibus colligere debemus, eandem ambiguitatem philosophum consulto spectasse. Hujus sententiae causam et rationem ex tritissimo symbolo ἀπὸ κυάμων ἀπέχεσθαι quaesivit Creuzerus, quod partim diaeteticum partim religiosum praeceptum interpretarentur veteres. Sed quid dicam de Aristotelis interpretatione supra jam tractata? qua politicum est praeceptum. Si operae pretium facturus essem, octo decemve hujus symboli diversissimas explicationes e tota antiquitate conquisitas proponere possem. Talis in exponendis symbolis fluctuatio et ambiguitas nihil aliud est, quam conamen interpretationum mature jam institutum, quibus caveas ne verum subesse putes [3]).

---

1) Ejusmodi commentis Plutarchi Sympesiaca, inprimis autem Jamblichi Protrepticon repleta esse, inter omnes constat.

2) Quid de duplici Aristotelicorum divisione statuendum sit, bene demonstrat Lobeck. in Aglaoph. T. I. p. 162 et 163.

3) Symbola Pythagorica a populis Orientalibus derivant recentiores antiquitatis scriptores (vid. Plut. de Isid. p. 354. D. Jambl. §. 103.), haud reputantes, quando ac sub quo populo illa nata sint. Pythagorae

Studuimus in succincta hac philosophica expositione genuinam Pythagoricam doctrinam ex antiquissimis scriptoribus delibare et illu-

praecepta ethica verissimam puto Doricae indolis effigiem, sive formam spectes, seu argumentum consideres. Ideo dicere poterat Aristoxenus, a Themistoclea Delphica sacerdote ea accepisse philosophum, ap. Diog. L. VIII, 8 et 25. Quidquid enim magnifici et praeclari Doricum ingenium profert, non lata oratione, sed concisa et vibranti sententiuncula vestit et ornat. Notissimus est Doriensium gryphus. Hac dico excelsa virtute decorata sunt illa apophthegmata, Maxim. Tyr. Diss. 31. c. 2. De veteribus multi praestantes viri Pythagorica symbola separatim tractarunt et illustrarunt. Insignes sunt Aristoteles et Aristoxenus. Illum haud dubie respicit Diog. L. VIII, 34. laudando Stagiritae librum de Fabis; Laërtii vero indiligentia proditum videtur, peculiarem libellum περὶ τῶν κυάμων scripsisse Aristotelem, multo probabilius certe, Pythagorae symbola amplioris operis de Pythagoreis partem fuisse (Hieronym. in Rufin. III, 10.), cui fortasse insertae erant mysticae illae sententiae ap. Porphyr. §. 41. et Clem. Strom. V, 571. C. (Aelian. V. H. IV, 17.), explicatae a Lobeckio in Progr. I. de Pythag. sentent. myst. 1827. p. 5 et 7.; cf. Aglaoph. II. p. 885. Aristoxeni Πυθαγορικὰ ἀποφθέγματα vel ἀπόφασεις (Jambl. §. 101. Mahn. de Aristox. p. 75.), e quibus satis magnam fragmentorum copiam servarunt Jamblichus et Stobaeus, summa diligentia collecta Pythagorae praecepta moralia complexa videntur. Cf. Mahnium p. 94 — 112. Jons. de Script. H. Ph. p. 74. Comparatis Aristoxeni enunciationibus Pythagoricis cum Zaleuci, quae Diodorus et Stobaeus nobis tradiderunt, legum prooemiis, in eam deveni sententiam, ut plurima pro Pythagoricis apophthegmatis habeam, quae a Pythagoreis legum colligendarum studiosis Zaleuci, quem Pythagorae alumnum falso putabant, legibus praefixa sint. Cujus sententiae argumenta in aliud tempus reservemus. Porro περὶ τῶν Πυθαγορικῶν συμβόλων scripsit Androcydes Pythagoreus incertae, ut videtur, aetatis, ex quo Clemens in Strom. hausit, cf. Jambl. §. 145. Theolog. Arith. p. 41. Jonsius p. 320 et 75. (Andr. Pythagoreum et Alexandri medicum eundem esse dicit Fabricius in Bibl. Gr. I, 830. ed. H. sine causa). Ejusdem nominis librum composuit Alexander Polyh., quo idem Clemens usus est, cf. Stromat. I. p. 304. B. Cyrill. in Jul. IV. p. 133. B. Anaximander Milesius junior explicavit symbola singulari libello ἐξήγησις συμβόλων Πυθαγορείων inscripto, vid. Suid. s. v. Ἄναξ. De Theano simile refert Suidas s. v. Θεανώ. Ultimo loco laudamus aureorum carminum, quae Pythagorae nomine insigniuntur, auctorem. A quo isti versus sint conscripti, de hoc adhuc sub judice lis est (virorum doctorum sententias vid. ap. Fabric. in Bibl. Gr. T. I. p. 791 seqq. ed. H.); num ab ipso Pythagora? minime, quod tam forma eorum, quam certissima veterum testimonia, secundum quae nihil scripti reli-

strare. Jucundum quidem est videre, quomodo Pythagorae de numerorum rationibus placita ab insequentibus Pythagoreis, veteris praesertim Academiae sectatoribus, sint immutata et novata, quod tamen ita a nostro proposito abhorrens est, ut si amplius id persecuti essemus, nimiae potius prolixitatis crimen quam diligentiae laudem in nos converteremus. Attamen quamvis eo usque quaestionis progressi simus, ut uno quasi in conspectu rerum copiam pertractatarum largissimam videre, quaeque ad finem philosophiae Pythagoricae in clara ponendum luce adhuc desiderantur, commodissime proferre possemus, pernecessarium ducimus, de duplici isto Italicae disciplinae discrimine tam pervulgato nonnulla praemonere, quo facilius ad id, quod assequi intendimus, transire liceat.

Diu et multum increbruit opinio, recentiore potissimum aetate nutrita et disseminata, Pythagorae doctrinae duplex genus fuisse, cúm mysticum, tum exotericum, vid. Procl. in Timaeum V. p. 295., in Parmen. V. p. 310., alios. Qui ita censuerunt, in varios inducti sunt errores. Indubitatum quidem est ac supra Aristoxeni testimonio comprobatum, duplicem discipulorum ordinem constituisse philosophum, commenticium vero, eum quasdam modo descriptae philosophiae partes in arcano habuisse et ita occultasse, ut a nemine possent intelligi, quasdam contra vulgari sermone vestitas cum extraneis communicasse. Rumusculus hic e falsa antiquitatis interpretatione enatus videtur. Mysticum enim, quo passim insigniverunt altiora quaedam Pythagorae dogmata Plato aliique antiquiores philosophi, non solum illud dicitur, quod in mysteriis proponitur, sed *quidquid difficiliorem intellectum speciemque secreti habet ob verborum obscuritatem majorem minoremve pro captu audientium* (verba sunt Lobeckii in Aglaoph. T. I. p. 85.); itaque nonne mirari desinamus, si omnia a Pythagora vel subtilius vel sublimius dicta et Pythago-

---

quit Samius, comprobant. Continent maxima ex parte philosophi gravissima praecepta ad virtutem justitiamque exercendam discipulis praescripta, quae a posteris, fortasse ipsis Pythagoreis [cf. Jamblich. §. 259.] collecta et versibus inclusa videntur, et referunt, ut Hierocles dicit, philosophiae moralis absolutissimam imaginem, vid. Hierocl. Comment. lectu dignissimum p. 213 et 214. cf. p. 170. ed. Needh. Plurima sed non omnia, quae extant, Pythagorica symbola congessit et enucleavit Gyraldus (Gyr. Operib. et Hieroclis Editionib. adjecta), melius tamen Orellius in Opusc. vet. Graec. sententios.

rico modo enuntiata pro opertis et profanis incognitis abscondendisque philosophiae decretis falsissime putarunt posteri? Ex eodem turbido fonte manavit putidum istud effatum μὴ κοινὰ ποιῆσϑαι τὰ σοφίας ἀγαϑὰ, neque fas esse, δαμοσίᾳ φιλοσοφὲν, quod Hipparcho in subjecta epistola (ap. Jambl. §. 75. Diog. Laërt. VIII. §. 42.) exprobrat Lysis. Quodsi rursus totam philosophiam contemplemur, sed nulla capti opinione praeoccupata — animus enim ita affectus et temere deceptus ubique secretum quid aucupatur ac pessimus est judex —, negari quidem non potest, nihil ipsi inesse, quod arcanum et occultandum, nihil quod discernendum sit, multum autem, quod stolidis et obtusis hominibus ad fingendam arcanam doctrinam praebuerit ansam. Jam vero multo aliud quid absconditum invenimus in Pythagorico sodalitio, haud confundendum cum isto quod repulimus arcano, quod tanquam summum principium cum philosophiae tum ipsius societatis praecipua cura et studio retinendum ac dissimulandum erat Pythagoricis. Nunc tandem viam patefecimus ad reperiendum id, quod tam diu quaesivimus. Sed quid fuit illud summum principium? Audiamus Varronem, gravissimum testem: "Quod autem Pythagorae mentionem fecisti, dicit Augustinus, nescio quo illo divino ordine occulto tibi in mentem venisse credo. Res enim multum necessaria mihi prorsus exciderat, quam in illo viro (si quid literis memoriae mandatis credendum est; quamvis Varroni quis non credat?) mirari et quotidianis paene, ut scis, efferre laudibus soleo, quod *regendae reipublicae disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat jam doctis, jam perfectis, jam sapientibus, jam beatis*. Tantos ibi enim fluctus videbat, ut eis nollet committere, nisi virum, qui et in regendo paene divine scopulos evitaret, et si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret" [Cicero de Republ. I, 29.], Augustin. de Ordine libr. II. cap. 20. §. 54. ed. Par. Quae quidem verba quantopere in construenda hac historia nobis profuerint, vix dici potest, praesertim quum auctorem habeant, quem incorruptus vetustatis judex Romanorum eruditissimum et rerum Graecarum peritissimum vere nominat (Quintil. Inst. Orat. X, 1, 95.). Primum quaerendum est, quid sibi voluerit Varro cum doctis, perfectis, sapientibus et beatis auditoribus? Ratio in promptu posita videtur. Memoria repetamus Tauri verba (ap. Gell. N. A. I, 9, 6 et 7.), quibus dilucide expressum erat, studiorum cursum discipulorum societati adscriptorum initium cepisse a disciplinis mathematicis (μαϑήματα); quibus perceptis

ad perspicienda mundi opera et principia naturae processisse. His scientiae studiis absolutis absolutus est Tauro disciplinae Pythagoricae cursus, dicit enim: "ac tunc denique appellabantur φυσικοί." Ex his evidentissime efficitur, quod in exordio jam declaravimus, Pythagoricam doctrinam eodem, quo quamlibet antiquorum philosophorum decurrisse orbe, h. e. contemplationem illam in indaganda perscrutandaque rerum natura versantem non inferiorem in philosophando, sed principem obtinuisse locum, θεῖα igitur πράγματα ἀνθρωπικοῖς non subjecta et postposita fuisse [1]); porro altioribus his disciplinis excultos et ornatos alumnos, quos physicos vocat Taurus, a Varrone recte dici auditores jam doctos, jam perfectos, jam sapientes, jam beatos. Jam verò, si finem totius Pythagorae sapientiae mere politicum fuisse concedis, mireris fortasse, quo unquam modo factum sit, ut abstrusa illa intellectuque difficilia de rerum natura dogmata explicata fuerint, antequam ultimam illam, quam Varro innuit, exponeret philosophus disciplinam [2]). Lateat duntaxat necesse est in illa sapientia nexus quidam et conjunctio naturam inter et civitatem, ita ut quae docuerat de mundi constructione conformationeque Pythagoras, eadem cum politia tanquam supremo doctrinae fastigio consociare humanaeque vitae rationibus et cultui aptissime accommodare posset. Ad hunc nexum, quem distincte intellexisse arbitramur, gravissimum clarissima collustrandum luce quam maxime requiritur, ut nostram philosophicam expositionem respectantes, quo sese exceperint ordine decreta, consideremus, eorumque summam uno in conspectu positam illuc rite revocemus. Nihil est in universa natura, dixerat philosophus, quod numero caret, quidquid est, id mathematicis

---

1) Id quidem ideo monemus, ne quae deinceps de arctissimo, quo natura inter se et res humanae conjunguntur, vinculo disputabuntur, aliquid quod cultiori doctrinae convenit, me contendisse convincant.

2) Multos quidem inveni viros praestantissimos, qui contenderent, metaphysica, quae dicunt, Pythagorae placita nihil commune habuisse cum scientia regendae civitatis. His adnumero Hoeckium, qui perspicue dicit: *Allein politisch war nicht der innerste Keim des Bundes, politisch war er schwerlich vom Anfang an,* (?): *denn eben so räthselhaft müsste in diesem Falle erscheinen die tiefe religiöse und wissenschaftliche Richtung des Vereins und jene metaphysische Speculation, die wahrlich nichts mit Politik gemein hat.* de Ins. Creta T. III. p. 223. Experiamur hanc conjunctionem clare ostendere.

rationibus et proportionibus constructum, dispositum atque definitum est; omnia contraria et discordantia ita comparata sunt, ut harmonia duce, relicta inimica natura, in amicum consensum conspirent et coalescant, quo internus *κόσμος* sive mundi ornatus et concentus existat. Omnia igitur referuntur ad unitatem, aptam concinnationem et compagem (*ἕνωσις, συναρμογή*) et concordiam in mundo regnantem explorandam monstrandamque (Panacm. Pyth. ap. Aristid. Q. de Mus. I. p. 3.); harmonia est intima mundi vita omnia suscipiens omniaque conformans. Enimvero numerorum doctrinam non solum ad res divinas et coelestes adhibebat philosophus, sed etiam ad vitam humanam hominumque instituta operaque transponebat, quod significare videtur Philolaus, dicens, numerorum naturam et vim animadvertere licere non modo *ἐν τοῖς δαιμονίοις καὶ θείοις πράγμασι*, sed etiam *ἐν τοῖς ἀνθρωπικοῖς ἔργοις καὶ λόγοις πᾶσι παντᾶ*, Philol. ap. Stob. I, 2, 3. p. 10. (ap. Boeckh. p. 141 et 144.). His praemissis demonstrare ingrediamur, quam apte ad politicum finem transferendum sit illud summum principium, quod in rerum natura expressum reperit Pythagoras; quae quidem demonstratio optime succedet tum, quum dogmata quaedam civitatis imaginem exhibentia ex fragmentis philosophorum politicorum Pythagoreae disciplinae addictorum selecta atque descripta in medium produxerimus, idque eo etiam consilio, ut denuo corroboretur sententia supra a nobis pronuntiata, Pythagorae philosophiae summam vel ab insequentibus Pythagoreis haud immutatam esse. Diotogenes Pythagoreus dicit: *Ἁ μὲν γὰρ πόλις ἐκ πολλῶν καὶ διαφερόντων συναρμοσθεῖσα κόσμω σύνταξιν καὶ ἁρμονίαν μεμίμαται*; idem: *κοινὸν γὰρ ἀγαθὸν ἐντὶ*, ait, *καὶ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων, εἴγε δὴ συναρμοστικά ἐντι κοινωνίας πολιτικᾶς — Ξυνὰ μὲν τὸ ποτὶ μίαν ἀρχάν τε καὶ ἁγεμονίαν τὸ ὅλον ξυναρμόσθαι· καθ᾽ ἕκαστον δὲ τὸ καὶ τὰ κατὰ μέρος τὰν αὐτὰν ἁρμονίαν τε καὶ ἁγεμονίαν συναρμόζεσθαι* — Diotog. *περὶ Βασιλείας* ap. Stob. Florileg. T. II. pag. 314. 318. Gaisf. Idem legesis ap. Ecphantum Pythag.: *Ἁ δ᾽ ἐν τᾷ πόλει φιλία κοινῶ τινος τέλεος ἐχομένα, τὰν τοῦ παντὸς ὁμόνοιαν μιμᾶται· ἄνευ δὲ τᾶς περὶ τὰς ἀρχὰς διατάξιος οὐδεμία ἂν πόλις οἰκοῖτο· εἰς δὲ ταύταν νόμων τε δεῖται καὶ τίνος προστασίας πολιτικᾶς τό τε ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον, εἴπερ σώζοιτο δι᾽ αὐτό. Ἐκ τούτων κοινὸν ἀγαθὸν εὐαρμοστία τις, καὶ τῶν πολλῶν ὁμοφωνία μετὰ πειθοῦς συνᾳδοίσας.* Ibid. pag. 323. Inprimis respicienda sunt Theonis Smyrnaei verba (Mathem. p. 15 et 16. Bull.): *ἐν μουσικῇ*

φασιν sc. Pythagorici ἡ ὁμόνοια τῶν πραγμάτων, ἔτι καὶ ἀριστοκρατία τοῦ πάντος· καὶ γὰρ αὕτη ἐν κόσμῳ μὲν ἁρμονία, ἐν πόλει δὲ εὐνομία, ἐν οἴκοις δὲ σωφροσύνη γίνεσθαι πέφυκε· συστατικὴ γάρ ἐστι καὶ ἑνωτικὴ τῶν πολλῶν. Videtis, quam pulchre consociare sciverint Pythagorici metaphysicam doctrinae partem cum sua civitatis constituendae sapientia! Quemadmodum enim mundi corpus ex multis variisque compositum rebus atque constructum, ne conflictu ac praevalida dissimilium rerum secum pugnantium potentia conturbetur nedum dilabatur dissolvaturque, harmonia unitur et continetur, sic civitas, domus, familia et quidquid multitudine constat, eadem harmonia in unum concilietur apteque temperetur necesse est: ut in civitate congrua singularum partium, imperantium subjectorumque, compositio et unitas, in domo et familia suavis consensus et concordia, in omnibus denique humanae vitae rationibus apta conspiratio et concinnitas enitescant. Ab altera parte sicut discipulis tantum altioribus instructis disciplinis ad perspiciendaque mundi opera principiaque naturae procedentibus intueri et admirari mundi harmoniam, ita iisdem jam perfectis et consummatis tanquam ultimum epoptiae gradum permensis mundanam illam harmoniam e coelo devocare et in civitate collocare et in humana instituta introducere datum concessumque erat.

Posteaquam hanc metaphysicorum dogmatum conjunctionem hucusque deduximus, age, quid in ipsa ultima disciplina traditum fuerit, expediamus. Summum et nobilissimum Pythagorae dictum erat, nihil hominibus anarchia detestabilius, humanum enim genus incolume servari non posse, ubi nemo praesit, magistratus non oportere tantum prudentes esse, verum etiam φιλανθρώπους: subditos vero non morigeros tantum, sed φιλάρχοντας quoque. Assuefaciendos autem pueros, ut a prima statim aetate alimenta certo ordine sumant, ordinem enim modumque ubique pulchrum et utilem, contraria turpia et inutilia esse. Aristox. Ἀπόφασ. ap. Stob. Florileg. T. II. p. 110 et 111. idem ap. Jamblich. §. 175. inprimis vero §. 203. Cf. Mahnium de Aristox. p. 101. Porro praecipiebat crebro (vid. supra), fugandum esse omnimodo et praescindendum igne ferroque et quibuscunque denique instrumentis a corpore morbum, ab anima ignorantiam, a ventre luxuriam, a civitate seditionem, a domo discordiam, omnino ab omnibus rebus mensurae excessum. Aristox. ap. Porphyr. §. 22. ap. Jambl. §. 34. (ap. Mahnium p. 44.); cf. §. 171. Sed quotidianum mandatum erat,

νόμῳ τε βοηθεῖν καὶ ἀνομίᾳ πολεμεῖν, quoniam petulantia, luxuria et legum contemtus saepenumero ad injustitiam impellerent. Aristox. ap. Jambl. §. 100. 171. 223. cf. Diog. Laërt. VIII, 23. Denique monebat philosophus, in patriis moribus legibusque, licet ceteris paulo deteriores sint, manendum, nam nequaquam eos consulere utilitati ac saluti reipublicae, qui legibus rebusque novandis studerent. Aristox. ap. Stob. Florileg. T. III. p. 115. ap. Jambl. §. 176. (ap. Mahnium p. 104.). Ex his omnibus sententiis, quarum fidem nemo Pythagorica imbutus vita ac doctrina in dubitationem vocabit, manifesto efficitur, Pythagoram unice spectasse, *conservandis et tuendis legibus et institutis a majoribus acceptis internum civitatis concentum continere, ea contra omnimodo depellere et eradicare mala, quae morum salubritatem et sanctitatem corrumperent, constitutamque reipublicae formam non concuterent solum, sed evertere quoque valerent, luxuriam inprimis, superbiam, lasciviam et discordiam* [1]).

---

1) Quamnam reipublicae formam probaverit Pythagoras, ipsa temporis historia, ad quam statim transgrediamur, melius nos docebit. Moneamus tamen antea, quod, si in unum omnia conferas, ipse intelligis, philosophum quaelibet illicita civitatis gubernacula, quibus politicus concentus subvertatur, prorsus repudiasse; quo factum est, ut insolentibus populi conatibus, maxime vero tyrannorum dominationi, quam injustitiae matrem semper putarunt veteres, infestissimo animo obviam iret; *φαῦλος γὰρ κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος*. Ex his perpende nefandam et per turpissimam fraudem fictam Ninonis vocem, Pythagorae philosophiam esse conspirationem quandam contra plebem (Apollon. ap. Jamblich. §. 260.), aut, quod alii literis prodiderunt, spectare eam, ad insidias civibus struendas, in quam se insinuat Athenion, nuper philosophaster, nunc tyrannus Atheniensium intolerandus ap. Athen. V. p. 213. F. Sed de hoc copiosius disputandum est alibi. Quid igitur mirum, quod antiquiores Pythagoreae sectae philosophi politici, Archytas, Diotogenes, Hippodamus, Stenidas et Ecphantus, qui effigiem optimae civitatis adumbrarunt, omnino improbant tyrannorum dominatum? Fragmenta eorum luculenter testificantur, eandem eos, quam postulabat Pythagoras, in patriis legibus et institutis perpetuam et stabilem permansionem suasisse et commendasse; vel sic tamen nolimus illorum virorum decreta cum Pythagoricae societatis politico fine componere et conciliare, illa enim proposita tantum sunt, hic contra re ipsa perfectus. Vide Stobaeum in

V.

Haec sunt, quae de philosopha Pythagoricorum disciplina exponenda duximus: ad aliud nunc dirigenda sunt vela.

Emenso studiorum cursu, quem a primis deinceps initiis ordientes ita nos explanasse et illustrasse arbitramur, ut regendae gubernandaeque reipublicae doctrinam tanquam in arcis cacumine flexuosis impeditae semitis positam collocatamque pro Pythagoricae disciplinae fastigio habendam esse demonstratum sit, age, ut ordine procedat disquisitio, ad secundam nostrae historiae partem supra abruptam, quae in investigando Magnae Graeciae civitatum, Crotonis inprimis, statu, qualis Pythagorae adventu fuerat, versabatur, redeamus continuandam absolvendamque. Scilicet nostrum nunc est, discipulorum praeceptoris doctrina eruditorum et excultorum cohortem ut societatem hominum ad res publicas moderandas institutorum arctissime contractam in publicum producere et inquirendo ostendere, quemnam obtinuerint illi in civitate locum et quomodo praesente magistro in hac se gesserint, simul ut pateat, quamnam reipublicae conditionem et formam probaverit philosophus.

Ac Pythagoras quidem, quum publice prodiisset et civitatem, quam cum morum corruptela lapsam tum internis populi cum principibus rixis discordiisque distentam vidit, sanasset, fieri aliter non potuit, quam ut eorum parti se addiceret quasi et consecraret, a quibus effrenata plebs coercebatur. Quamvis rerum status philosophi auctoritate aliquatenus in melius redactus erat, diu tamen is permanere non potuit. Clare id perspexit Pythagoras; disciplina igitur sua ut civitati adminiculum daret stabilissimum, in id animum intendit. Quo tempore floruit Crotone societas, ex trecenis fere constabat sodalibus sodalitii juris sacramento nexis (Apollon. ap. Jambl.

Florileg. T. II. p. 122—129. 164. 165. 166—170. 275. 298. 313—326. (Heeren. in *Ideen üb. d. Polit.* T. III. p. 434.) Chrysogoni etiam *Πολιτεία* Pseudepicharmia (vid. Aristox. ap. Athen. XIV. p. 648. E.) ex Epicharmi (quem ut nothum Pythagorae discipulum ex hac historia prorsus nos exclusisse, nemo inprimis post circumspecte institutam nec nobis improbatam Welckeri disquisitionem reprehendet) comoediis tam morales quam politicas sententias Pythagoricas continuisse videtur. Vid. Welckerum in *Allg. Schulzeit.* 1830. m. M. p. 476. seqq.

§. 254. 260. Lucian. Vitar. Auct. c. 6. Diog. Laërt. VIII, 3. Athenag. c. 27. p. 61. ed. Oxon. Justin. XX, 4.), maximam partem Crotoniatis (Apollon. ap. Jambl. §. 254.), sed aliarum quoque Magnae Graeciae civitatum juvenibus (vid. postea), qui, quod uno ore testantur scriptores, omnes generis claritudine nominisque nobilitate insignes erant. Apollonius vocat sodales νεανίσκους ὄντας ἐκ τῶν ἐν τοῖς ἀξιώμασι, καὶ ταῖς οὐσίαις προέχοντας (ap. Jambl. l. l.), Plutarchus πρωτεύοντας Ἰταλιωτῶν (Philos. esse cum princip. c. 1. p. 777. A.). Pythagoram enim, praeterquam quod toto animo optimatium factioni deditissimus esset, quum juvenes tantummodo ad altiora sapientiae decreta mente excipienda excolendaque idoneos ad gravissimaque aliquando publica munera obeunda et perite administranda aptos in consortium adscribi posse sibi persuasisset, num aliter in civitate aristocratica forma temperata agere debuisse censemus, quam juvenes recipere praeclara indole, generosa et divite stirpe ortos, qui jam avito quasi jure patriae civitatis gubernacula tenerent atque ita tam suam quam societatis dignitatem auctoritatemque stabilirent conservarentque? Hi juvenes, pergit Apollonius, provectiore constituti aetate non solum ἐν τοῖς ἰδίοις οἴκοις primas obtinebant, sed etiam κοινῇ civitatem regebant; ita quidem prudenter, addit Diogenes, ut respublica mera ferme ἀριστοκρατία esset (Diog. Laërt. VIII, 3.). Quae narratio, gravissima ea quidem et certissima, invitat nunc nos ad perscrutandum, quasnam partes Pythagorica sodalitas in civitate sustinuerit. Ac primum inspiciamus Niebuhrii verba, Pythagoricorum synedrium senatum Crotone fuisse conjectantis; ait enim: "*Die Dreihundert zu Kroton waren vermuthlich der Senat.*" Hist. Rom. I. p. 165. ed. alt. Non putasse videtur Vir Immortalis, Pythagoram aut discipulos ejus mille virorum synedrium, quod civitati antea praefuisse expositum est, sustulisse et ipsos se solos constituisse civitatis moderatores; quod cum aliis rationibus postea afferendis, tum ipsa historia satis refutatur (Diod. Sic. XII, 9. Apollon. ap. Jambl. §. 260. Valer. Max. VIII, 15. ext. 1.); sed haud dubie in eam discessit sententiam, ut praeter jam constitutam βουλήν delectum optimatium collegium tanquam γερουσίαν ad Doriensium exemplum moremque instruxisse philosophum existimaverit. Verum obstat altum scriptorum silentium; imo nimis magnus collegii numerus ipsaque rerum publicarum administratio, quippe in plurimis diversa admodum a seniorum muneribus, hanc conjecturam debilitare videtur. Jam vero, si Pythagoricorum soda-

litas *κοινῇ* civitatis frena rexisse perhibetur, anquiritur, quae fuerit vera ratio, quae ipsi cum mille viris intercedebat. Trecenorum synedrium (*συνέδριον*, *συνεδρεύειν*, *παραδρεύειν*, *ἑταιρεία*, Aristox. ap. Jambl. §. 249. Dicaearch. ap. Porphyr. §. 56. Apollon. ap. Jambl. §. 254. cf. Plut. de Genio Socr. p. 583. A. c. 13. Diog. Laërt. VIII, 39.), Dorico, ut patet, ternario numero fundatum, erat *separatus omnino a ceteris civibus* (Justin. XX, 4.) *et per se absolutus, sed minime illicitus quasi status, cujus sodales amplissimis haud dubie magistratibus, qui rationibus reddendis* (*εὔθυναι*) *non circumscripti erant, gerendis, quibus nobili tantum familia prognati tam lege quam more antiquo praepositi erant, mille virorum senatum suis consiliis ita tenebant et dirigebant, ut summam vim et auctoritatem in totam rempublicam exercerent.* Haec ratio cumprimis ex Apollonio (ap. Jambl. §. 260.) praeclare intelligi potest; ibi effusis in Pythagoreos criminibus Ninonem inducit adhortantem cives convocatos, ut ne vocem quidem sustinerent *consulentium*, sed animo reputarent, si illi (Pythagorei) *mille viris persuasissent consilium suum* (de quo infra) *approbare*, nunquam se in concionem venturos fuisse. Inde sequitur, Pythagorae collegium privatum, non publicum fuisse; nam si publica auctoritate probatum fuisset, consilia ejus secreta publice proponi antea et agnosci debuissent; quod non factum, cum res ipsa loquitur, tum ex omnibus, quae postea e Ninonis accusatione proferemus, luce clarius fit. Res civiles a Pythagoricis pertractatas quod attinet, quamquam vis et momentum e politica societatis potestate melius quam genus definiri et ponderari potest, propter nimiam scilicet, quae certiores nos facere possent, narrationum inopiam, aliquatenus tamen, si quotidianae vitae Pythagoricae descriptionem Aristoxenicam supra explicatam respiciamus, quales fuerint, edocemur. *Τὸν δὲ μετὰ τὸ ἄριστον χρόνον*, ait Peripateticus, *περὶ τὰς πολιτικὰς οἰκονομίας κατεγίνοντο, περί τε τὰς ἐξωτικὰς καὶ τὰς ξενικὰς διὰ τὴν τῶν νόμων πρόσταξιν. Πάντα γὰρ ἐν ταῖς μετ' ἄριστον ὥραις ἐβούλοντο διοικεῖν.* Aristox. ap. Jambl. §. 97. Quae quidem verba universe admodum intelligenda esse, apparet; nihilominus pro comperto habemus, publica negotia, pomeridianis horis, ut leges praescripserant, absolvenda, quippe quae non intra Crotonem solum sese continuerint, sed ad alias politica consociatione cum illa junctas tam *ἐξωτικὰς* quam *ξενικὰς* se extenderint civitates, haud vulgaria, imo gravissimi fuisse ponderis. Legatos igitur, e. g., recipiendi,

audiendi, causamque eorum cognitam vel ad populum deferendi vel sine populo decernendi munus eodem pertinuisse crediderim. Praeterea autem aliud quidquam Aristoxeni verbis significatum puto, de quo aptius dicendum est postea.

Pythagoras ipse, in quo cautum se ac prudentem gessisse fatemur, nullum suscepit publicum munus, veneratione tantum civitatis suffragiis ipsi tributa juste usus tam suam quam societatis gratiam dignitatemque melius ac diutius tueri et servare scivit. Enixo enim Crotoniatae studio ab eo petierunt, ut senatum ipsorum consiliis suis uti pateretur, Valer. Max. VIII, 15. ext. 1. [1]); quem sibi demandatum honorem non prorsus repudiasse Mnesarchi filium, exemplo satis illustri proditum confirmatumque reperimus ap. Diod. Sic. l. l. et Jambl. §. 177. At enimvero Ciceronis, cui multum hodie tributum est auctoritatis, de Pythagora ut philosopho politico judicium, huic nostrae sententiae plane adversari videtur. Quodsi curate diligenterque ejus scripta perlustras, negare non poteris, Tullium in ea esse sententia, ut Pythagoram non prorsus quidem a regenda civitate sese abstinuisse existimet, tantam tamen philosophia tractanda expoliendaque eum percepisse oblectationem voluptatemque, ut ceteris omnibus pro nihilo habitis, in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare crediderit. Cur confert Democritum et Anaxagoram (de Orat. III, 15. Tusc. Q. V, 23. cf. V, 39.)? quos, ut discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dare possent, agros et patrimonia sua reliquisse ferunt. Mihi quidem, si aperte dicam, quod sentio, id judicium minime circumspecte et caute pronunciatum videtur; obloquuntur omnia antiquissimorum scriptorum testimonia, excepto uno Heraclide Pontico, qui Samium spretis humanae vitae studiis in rerum tantum naturae perscrutatione omnem dulcedinem invenisse putat. Quam ob rem equidem persuasissimum habeo, Heraclidis, quem doctum inprimis praedicat, auctoritate in hanc sententiam adductum esse Tullium. Cf. Cicer. Tusc. Q. V, 3. Jambl. §. 58. 59. Pythagoras pariter profuit discipulis institutione et doctrina, atque reipublicae consilio et

1) Equidem credo, Crotoniatas amplissimo hoc honore tanquam πρύτανιν civitati praeficere voluisse Pythagoram; cujus magistratus auctoritas quanta fuerit in civitate ab optimatibus administrata, inter omnes constat. Cf. Odofr. Mueller. Dor. T. II. pag. 179. vid. pag. 134 seqq.

prudentia. Nam quae peractis diei negotiis inierunt syssitia Pythagorici praesente praeceptore, in hunc tantum finem instituta ea fuisse et celebrata, ut sobrio vivendi generi adsuefierent, incredibile videatur. necesse est, quicunque politica Pythagoricae sodalitatis consilia communiter peracta communiterque igitur consultanda attento animo perspexerit; collatis potius in unum omnibus fateberis, Cretensium Ἀνδρείοις ac Spartanorum Φιλιτίοις et instituto et fine Pythagoricorum consensisse coenas, h. e. βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν eas habuisse, sicut de istis Doriensium epulis id refert Plutarchus (Sympos. VII. p. 714. B. vid. supra). Et vide, ne hoc totum sit a me: nam Milonis domum quum subjecto igne incenderet Cylonis factio, eo ipso tempore πανδαισίαν quidem ibi celebrasse Pythagoricos refert Satyri epitomator (ap. Diog. Laërt. VIII, 40.), deliberationem tamen eos habuisse περὶ πολιτικῶν πραγμάτων addit Aristoxenus ap. Jambl. §. 249. [1]). Quid est igitur ineptius, quam Pythagoram sibi fingere in recessu sedentem, inque philosophiae studium incumbentem? contra quid aequius, quam eundem cogitare in discipulorum a praeceptoris ore pendentium consessu praesidentem, deliberantem, consilia ad moderandas res publicas spectantia dantem? Adjungas velim his dictis insignem Plutarchi locum: ἂν δ' ἄρχοντος ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ καὶ πρακτικοῦ καθάψηται sc. ὁ φιλόσοφος, ait, καὶ τοῦτον ἀναπλήσῃ καλοκἀγαθίας, πολλοὺς δι' ἑνὸς ὠφέλησεν, ὡς Πυθαγόρας τοῖς πρωτεύουσιν Ἰταλιωτῶν συγγενόμενος. Plut. Philos. esse c. princip. c. 1.

Verum quae de Crotone hucusque diximus, eadem in ceteras Italiae civitates, quarum summum imperium penes nobiliores erat, verosimillime transferenda sunt. Supra enim expositum est, quo tempore prodiit in Italia Samius, eodem quo Crotoniatarum urbem interno malo plurimas et nobilissimas Magnae Graeciae civitates laborasse, illam vero ut philosophi consiliis vel maxime faventem sedem fuisse, qua convenerint primorum juvenes; itidem literis consignatum, philosophi vim et auctoritatem per totam paene Italiam fuisse sparsam et diffusam. Synedrium Crotone erat seminarium totius Italiae (cf. inprimis Diog. Laërt. VIII, 16.), ex quo emissi juvenes optimates, perfecti et sapientes, patriae urbis clavum simili consortio tenebant.

---

1) Falsam lectionem π. πολεμικῶν πρ. jam dudum delevit Mahnius de Aristoxeno pag. 42.

Clare id testantur scriptores; τὰ συνέδρια τῶν Πυθαγορείων ἐν τοῖς κατὰ τὴν Μεγάλην Ἑλλάδα τότε προσαγορευομένην τοποῖς laudat Polybius II, 39. Aristoxenus contra tradit: Πυθαγόρας δ' ἄχρι πολλοῦ κατὰ τὴν Ἰταλίαν οὕτως ἐθαυμάζετο αὐτός τε καὶ οἱ συνόντες αὐτῷ ἑταῖροι, ὥστε καὶ τὰς πολιτείας τοῖς ἀπ' αὐτοῦ ἐπιτρέπειν τὰς πόλεις, ap. Porphyr. §. 54. (cf. Jambl. §. 129.); et Valer. Max. (VIII, 7. ext. 2.) judicio Pythagoras in Italia plurimis et opulentissimis urbibus effectus suorum studiorum approbasse perhibetur. Graviter vero dolendum est, laudatos scriptores non indicasse istarum urbium nomina, quo melius et accuratius aliorum, quorum fides et auctoritas alias nihili aestimanda est, praesertim Nicomachi, narrata pensitare ac dijudicare possimus. Ad Tarentum quod attinet, exploratissimum habemus, in hac urbe Pythagoricorum collegium constitutum fuisse (οἱ ἀμφὶ Τάραντα); easdem ibi, quae Crotone exortae erant, turbulentissimas seditiones offendebat Pythagoras profugus. Dicaearch. ap. Porphyr. §. 56. (vid. postea) Lucian. Vitar. Auct. c. 6. cf. Schol. ad h. l. Tarenti id temporis collegium fuisse, significatum etiam videtur his Claudiani versibus:

> At non Pythagorae monitus annique silentes
> Famosum Oebalii luxum pressere Tarenti.

Claud. de Cons. Fl. Mallii Theod. XVII. v. 157. 158. [cf. Miscell. Observ. Belg. T. II. p. 210.]. Idem de Metaponto certissime dici posse, apparet e Dicaearcho ap. Porphyr. §. 57. (ἡ περὶ Μεταπόντιον σύστασις) ap. Diog. Laërt. VIII, 40. cf. Schol. ad Plat. Gorg. p. 352. Bekk. Imo Plutarchus (de Genio Socr. c. 13.) et quicunque Metapontinos Pythagorae domum Cereris sacrarium fecisse, angiportum autem Museum vocasse produnt (Phavorinus ap. Diog. L. VIII, 15. cf. Jambl. §. 170.), non Crotonem, sed Metapontum Pythagoricorum seminarium habuisse videntur; quam tamen sententiam quo minus amplectamur, obstat vel ipsa narrationum levitas. Plutarchum enim in enarrandis collegiorum fatis negligentiae dicam an inscitiae convincunt tam locupletissimi, qui de iisdem mentionem injecerunt, scriptores, quam turpissimi in temporibus computandis admissi errores (Boeckh. in Philol. p. 8 seqq. vid. post.); et quod de Metapontinis proditum est, Crotoniatis id majori cum probabilitate tribuitur a Timaeo ap. Porphyr. §. 4. Valer. Max. VIII, 15. ext. 1. quocum confer Justin. XX, 4. Haec sunt, quae de singulis Italiae synedriis proferri possunt. In universum id adjicere velim,

quod quidem ex ipsa re efficitur, omnes vel eas, quae praeterea reperiantur sodalitates, non alia quam Crotoniensem persecuta esse consilia, nec, si ad Aristoxeni verba me revoco, in quibus Pythagoricos res publicas et ἐξωτικὰς et ξενικὰς tractasse consignatum erat, non contendere ausim, illas cum hac, quam ut primariam sedem praeceptoris causa summo in honore habuerint, non solum arctissimis amicitiae hospitiique vinculis, sed et communi quodam commercio in consiliis inter se conferendis interioribus fuisse junctas.

Major et difficilior nunc existit disceptatio, servaverintne Pythagoras ejusque discipuli priscum reipublicae statum, an immutaverint? in qua dirimenda ne quae Ipse dixit, praetermittamus, revertamur ad summum illud dictum, quod ex intimis quasi Doricae vitae penetralibus haustum est: in patriis moribus legibusque, licet ceteris paulo deteriores sint, perseverandum praeceperat; nam nequaquam eos consulere publicae saluti, qui legibus rebusque novandis studerent [1]); monuerat idem, legi succurrendum, quodque legi adversetur, debellandum esse. Nisi ex aliis indiciis, certe ex his praeceptis intelligitur, Pythagoricos, praeceptoris monitorum adeo tenaces, omnino nihil novi in civitatem introducere debuisse. Cf. Jambl. §. 129. Jam vero refert Apollonius (ap. Jambl. §. 255.), quamdiu Crotone fuisset Pythagoras, inconcussam et illibatam stetisse civitatis formam inde ab urbe condita constitutam. Senatus igitur habebat potestatem rationi reddendae haud obnoxiam, non omnes cives, sed certae ex censu descriptae classes comitiorum participes erant. Hanc antiquam formam abrogare studebant plebis propugnatores (quasi δήμου προστάται), Hippasus, Diodorus et Theages, quo tempore morum pravitas, effrenata licentia et dominandi libido grassari coepit, flagitantes, ut omnes cives et magistratuum et comitiorum participes fierent, ut novus magistratus Ephororum, sicut recte adjicit Welckerus (Prolegom. ad Theogn. p. 49.), similis (plebeji ordinis firmamentum), ex cuncta multitudine sorte (more plebejo) eligeretur, cui qui munera gessissent, rationem redderent. Quo decreto omnis optimatium vis funditus abolita esset, nisi graviter obstitissent Alcimachus, Dimachus, Meton et Democedes Pythagorei. Quid opponebant? se nolle τὴν πάτριον πολιτείαν dissolvi. Apollon. ap.

1) Idem significat symbolum στέφανόν τε μὴ τίλλειν· τουτέστι, τοὺς νόμιους μὴ λυμαίνεσθαι· στέφανοι γὰρ πόλεων οὗτοι. ap. Porphyr. §. 42. Hieronym. c. Rufin. III. c. 10.

Jambl. §. 257. Quis, quaeso, est, qui animo haec omnia recolens non credat, Pythagoram, quemadmodum nullum susceperit publicum munus, ita omnino nihil in reipublicae forma nec immutare voluisse, nec revera immutasse, idque vel eam ob causam, ne nimis periculosum abrogandi vetustate sancita instituta exemplum praeberet, quo quidem exemplo usus facilius eo adduci potuisset populus, ut odiosam jam aristocratiam (δυσαρεστουμένη Apollon. ap. Jambl. §. 255.) prorsus infringeret everteretque. Nam populus tenaciter inhaeret patriis institutis, nec ab his amovetur, nisi pessima demagogorum factio in optimatium exstirpationem conspiraverit, et plebem fallaci libertatis spe implendo et deliniendo in servitutem abduxerit. Sed nolumus silentio premere, quod nobis refragari videtur. Diogenes L. tradit, Pythagoram, quum Crotone commoratus esset, Italis leges dedisse (VIII, 3.); ab aliis contra scriptoribus per Zaleucum Locrensem et Charondam Catanensem Italiae Siciliaeque eas constituisse memoratur (Posidon. ap. Senec. Epist. XC. Diod. Sic. XII, 20. Nicomach. ap. Porphyr. §. 21. ap. Jambl. §. 33. 104. 130. 172. Diog. Laërt. VIII, 16.). Dicaearchus (ap. Porphyr. §. 56.) autem inducit Locrensium seniores Pythagoram adventantem adloquentes his verbis: *ἡμεῖς, ὦ Πυθαγόρα, σοφὸν μὲν ἄνδρα σε καὶ δεινὸν ἀκούομεν· ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις νόμοις οὐδὲν ἔχομεν ἐγκαλεῖν· αὐτοὶ μὲν ἐπὶ τῶν ὑπαρχόντων πειρασόμεθα μένειν κτλ.* Quod ad primum attinet locum, quem in arctissimum contraxit epitomator, equidem istam illam Pythagoricam legislationem ad collegiorum tantummodo institutionem referendam censeo; nec Zaleuci leges Charondaeque, qui in Pythagorae tacito sanctoque recessu didicisse jura dicuntur, nostram sententiam explodere valent; multo enim antiquiores sunt ipso philosopho. Jam a Ptolemaeorum inde, ut videtur, aetate hic error subrepsit, cujus auctorem si quaerimus, haud indignum se offert Hermippus Smyrnaeus, qui sicuti in libris de Pythagora multa affinxit philosopho inaudita, sic in opere de Legumlatoribus duos illos viros in numerum Pythagoreorum facillime adscribere poterat. Bentleji calculus docuit, Zaleuci legislationem incidere in Ol. XXIX, Charondae autem leges Catanensibus ac ceteris Chalcidicis civitatibus (Scymn. Ch. v. 282 seqq.) scriptas, etsi earum aetas minus certo definiri potest [1]), multum tamen Pythagorae aetati antecedere, idem vir acutissimus satis confirmavit. Cf. Bentl. Diss. de Phalar. p. 187 seqq. Heyn. Opusc.

1) Circa Ol. XL. eas institutas esse puto.

T. II. p. 30. 64. 138 seqq. Ex quo tempore Locrensium civitas Zaleuci leges receperat, laetissimus erat rerum status, qui ne novandi studio aliquando conturbaretur, acerba de laqueo lege provisum atque praecautum erat (Bentl. p. 189. 191.). Quocirca nihil inest in istis Locrensium verbis, quod Pythagoram prodat rerum immutandarum studiosum, declarant tantum summam civium statum reipublicae nullo tum malo laborantem, sed optimis semper legibus vigentem conservandi curam et quasi cautionem. His remotis obstaculis, quae modo obstacula videbantur, in summam nunc colligamus, quae explorata esse hac nostra disquisitione arbitramur. Ac primum quidem si Aristoxeni narrationem ap. Porphyr. §. 22. ap. Jambl. §. 214. accurate perpendimus, qua Pythagoras tam intestinas quam externas discordias sustulisse, turbatas respublicas ordinasse, *παρανομίαν* repressisse et protervos tyrannosque oppressisse dicitur, porro si mente repetimus cum rationem, quae philosopho collegioque cum senatu intercedebat, supra descriptam, tum discipulorum responsum: se nolle acceptam a majoribus reipublicae formam disturbari, denique si cogitamus de animo a populo tantopere alieno, ex quo, quid ille immutare studebat, non concedebant, tum certum manet, Pythagorae et Pythagoreorum potestatem eo usque processisse, ut dissidentes inter se atque discordantes civitates in pristinum restituerent statum, antiqua et quasi obliterata aristocratiae jura revocarent, sua auctoritate et prudentia fulcirent, amplificarent, quaslibet vero plebis ejusque ducum insolentes petitiones restringerent furoresque comprimerent.

Quamdiu Pythagoras aderat, Magnamque illam Graeciam tum honore disciplinae, tum auctoritate tenebat, laetissime effloruit rerum publicarum status et conditio. Cicero Tusc. Q. I, 16. V, 4. de Offic. I, 30. de Amicit. c. 4. Optime administrabant philosophi illi optimates tam summa rerum civilium peritia, generoso excultoque animo, quam fraterna quasi unanimitate publica negotia (Diog. Laërt. VIII, 3. Jambl. §. 129.), et depravatam effeminatamque morum indolem virtute ac temperantia repellebant. En vide pulcherrimum locum Pythagoricorum gloriam nobilitantem, quem totum describere operae sane pretium est: *εὕροι δ᾽ ἄν τις σπανίως μὲν φιλοσόφους ἄρξαντας ἐν τοῖς ἀνθρώποις· λέγω δὲ τὰς ὠνομασμένας ἀρχὰς, στρατηγοὺς, ἢ σατράπας, ἢ βασιλέας καθισταμένους· πλεῖστα δὲ καὶ μέγιστα ἀπολαύσαντας αὐτῶν ἀγαθὰ τοὺς ἀρχομένους — Ἰταλιώτας δὲ σύμπαντας τῶν Πυθαγορικῶν τοσοῦτον χρόνον εὐδαιμονήσαντας, καὶ μετὰ πλείστης ὁμονοίας καὶ εἰρήνης πολιτευ-*

σαμένους, ὅσον ἐκεῖνοι χρόνον τὰς πόλεις διεῖπον. Dio Chrysost. Orat. 49. pag. 538. Mor. Nonne expressam in his omnibus invenis divini philosophi nobilissimam sententiam, florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur (Plat. Resp. V. p. 473. C. D. VI. p. 499. B. C. cf. Capitolin. in Anton. Phil. c. 27.)? Multum haud dubie incrementi cepit et Crotoniensium et Pythagorae Pythagoreorumque fama rei athleticae studio post infelix ad Sagram proelium ab illis abjecto, a philosopho ita restituto, ut antiqua Crotoniensium athletarum gloria jam uno Milone renovaretur et augeretur. Strabo VI. p. 263. Nec minus certe Samio datum est honori, quod, ut Italicas gentes commercio misceret florentissimo, aequales ut videtur mensuras et pondera, Dorica intelligo h. e. Aeginetica, invexit. Aristox. ap. Diog. Laërt. VIII, 14. [1]). Ut paucis complectar, adeo exornavit Pythagoras Magnam Graeciam, ut recte dici posset, Italiam subsicivam Graeciam fecisse. Apulej. de Mag. p. 36. ed. Bip. Verum enim vero quod saepissime historia comprobatum videmus, viros praestantissimos et de civitatum salute meritissimos tandem invidorum grege atro dente carpi, idem Pythagorae ejusque familiaribus accidisse legimus. Quod per satis longam annorum seriem auctoritate sua prohibuerat philosophus, id nunc omni celeritate festinationeque crupit (Apollon. ap. Jambl. §. 255.). Adversariorum turba gratiam aucupantium plebis extitit, qui obtrectantes societatis gravitati et potestati populum a jugo servitutis, quo oppressum tenerent Pythagorei, se liberaturos simulabant. Quamquam si Apollonium (ap. Jambl. §. 254.) audiamus, jam inde ab incunabulis societatis Pythagoras certe non omnium, sed singulorum tantum hominum maledicorum favore exciderit, principium tamen omnium malorum ab eo quo Sybaris diruta erat tempore repetendum esse duximus. Tandem coaluerat illa in urbe duce Telye e nequissimis conflata factio, quae variis machinationibus et artibus multitudinem in Troezenios, apud quos, ut supra expositum, summum imperium erat, stimulaverat et exasperaverat, ut urbe eos ejiceret eorumque opes (sueto more) publicaret. Diod. Sic. XII, 9. Aristot. Polit. V, 3. Telys tyrannidem suscepit, sed in breve tantum tempus. Herodot. V, 44. Heraclid. Pont. ap. Athen. XII. cap. 21. Quingenti Sybaritarum

1) *Καὶ πρῶτον*, ait Diogenes, *εἰς τοὺς Ἕλληνας μέτρα καὶ σταθμὰ εἰσηγήσασθαι, καθά φησιν Ἀριστόξενος ὁ μουσικός*. Quae a Phidone Argivo *inventa* putantur, minime respexit Aristoxenus.

exules Crotona confugiunt ad aras, auxilium sibi deprecantes. Ab utraque parte mittuntur legati; Telys mandat suis, aut exules ut repetant, aut bellum indicant Crotoniatis. Diod. Sic. l. l. Concione convocata senatus rem ad populum defert, cujus quum sententia ad reddendos quingentos inclinaret, procedit Pythagoras, et supplices ne ab aris abstrahantur, auctoritate sua convincit; adde Jambl. §. 177. Quis tandem philosophi optimatium conservandorum studium amplius in dubium vocabit? Etiam Pythagorei aliquantum ad tuendos supplices contulisse videntur; crediderim equidem, jam antea illud consilium captum fuisse in philosophorum consessu vespertino, Sybaritarum autem legatos, quorum magis intererat, optimates sibi reddi — nam armis intentandis ad prodendos illos tantum adigere studebant Crotoniatas — gravissimam Pythagoricorum in rebus publicis vim sentientes, quid hi ad exsequendum illud antea instruxerint, perspexisse. Quod si verum, tum facilius esset ad explicandum, cur nonnulli discipulorum a legatis interfecti dicantur. Jambl. §. 177. 133. Igitur communi sententia decernitur bellum inferendum Sybaritis. Interea triginta legati a Crotoniatis Sybarim missi videntur, qui tamen insana tyranni ira ita tractati sunt, ut eorum corpora ante urbis muros projecta bestiis dilaceranda relinquerentur. Phylarchus ap. Athen. l. l. Bellandi causa nunc reperta erat. Sybaritae cum trecenis, ut perhibetur, millibus, Crotoniatae cum centenis tantum millibus, sed sub ductu fortissimi Milonis in aciem procedunt. Strabo VI. p. 263. Diod. Sic. l. l. (Tzetz. Chil. II. v. 463 seqq.) Apollon. ap. Jambl. §. 260. [1]). Summo ardore pugnatum est ad fluvium Traentem (e Bentl. emendatione p. 41.), donec ingens Pythagorei robur, nec non callidum Crotoniatarum consilium (Aristot.

1) Adeo creverat a Locrensibus olim tantopere afflicta Crotoniatarum urbs, ut nunc sed haud dubie una cum *ἰσοπολίταις* (vid. Niebuhr. Hist. Rom. T. II. p. 83. not. 147.) et auxiliante Dorieo Spartano (cf. Herodot. V, 44 et 45.) tantas copias emittere posset. Sybaritae quamquam *πανδημεὶ* egressi videntur, scriptorum tamen narrationem merito in suspicionem vocat Niebuhrius l. l., nam quis unquam numeravit incolarum multitudinem; nihilominus apparet, praesertim quum Diod. Sic. XII, 9. subjiciat, senatum Crotone detulisse, utrum redderent exules, an bellum susciperent *πρὸς δυνατωτέρους*, Sybaritas multum numero superasse Crotonienses, ita ut Scymni (v. 340.) testimonium, ad centena millia illorum exercitum reducentis, ceteris sit posthabendum.

ap. Athen. XII. c. 19.) gloriosissimam reportaverit victoriam, ita ut brevi tempore (Scymn. Ch. v. 357.) opulentissima Sybaritarum civitas, quae per ducentos fere annos inconcussa steterat (ἀπταίστως dicit Scymn. Ch. v. 358.), funditus deleretur. Tantum valuit luxus et petulantia. Strabo l. l. vid. supra. Bellum hoc gestum est circa Ol. LXVII, 3. ex Diodori, qui solus tempora adscripsit, ratione, vid. XII, 10. cf. XI, 90. Bentl. de aet. Pythag. p. 40. 41. Heynii Opusc. T. II. p. 137.

Tempora rerum Italicarum si consideramus, simulque cum illis historiam societatis Pythagoricae conferimus, nullum sane momentum, in quod quam diligentissime intendatur animus, dignius reperimus, quam quo capta Sybari rerum novandarum occasionem diu quaesitam sibi datam rati sunt Crotoniatae, et ut eam, quam mutato rerum statu mutaverant Pythagorei civitatis gubernandae rationem, probe cognoscamus ac dijudicemus, et ut opinionum commenta nimis diu recepta ostendamus et explicemus. Eversa Sybari agrum armis partum, quem nobiles sibi vindicare solitos esse supra adnotavimus, quum inter novos colonos sortibus dividi (κατακληρουχθῆναι) concupisceret plebs, fortiter restiterunt philosophi optimates. Flagitarunt haud dubie, ut tanquam ager publicus suae administrationi vindicaretur, quo tamen specioso sub nomine factum fuisset, ut ad suam ipsorum tandem rediisset factionem. Inter haec Crotonem reliquit Pythagoras, certo prospiciens infelicem rerum eventum; vid. postea. Pythagorei tam numero praevalentes, quam avito nobilitatis nomine erecti, ne quidquam de suo jure detrahatur, ulterius nunc in consiliis capessendis evagati videntur. Scilicet in Ninonis accusatione Pythagoreis hoc crimini datur, quod populi concionem abrogare studuerint: καὶ παρεκάλει (Ninon), ait Apollonius, μηδὲ τὴν φωνὴν ἀνέχεσθαι συμβουλευόντων, ἀλλ' ἐνθυμεῖσθαι, διότι τοπαράπαν οὐδ' ἂν συνῆλθον εἰς τὴν ἐκκλησίαν, εἰ τοὺς Χιλίους ἔπεισαν ἐκεῖνοι κυρῶσαι τὴν συμβουλήν· ὥστε τοῖς κατὰ τὴν ἐκείνων δύναμιν κεκωλυμένοις τῶν ἄλλων ἀκούειν οὐ προσήκειν ἐᾶν αὐτοὺς λέγειν κτλ. ap. Jambl. §. 260. Pythagoreos hoc consilium revera cepisse et approbare studuisse mille viris, patet. Sed qua de causa comitia non institui, sed sensim aboleri voluerunt? sine dubio ne plebs convocata concione senatum cogeret, ut agrum Sybariticum in κλήρους distribueret et singulis adsignaret. Senatus aut rejecit id ut nimis periculosum, aut occasio illo utendi ei non oblata est. Videmus igitur, Pythagoreos post praeceptoris discessum consilia molitos esse perniciosa sane et

contraria iis, quas ut Pythagorae placitas proposuimus civitatum gubernandarum rationibus, et tantum abest, ut eorum studium vel laudandi vel excusandi suscipiamus negotium, ut extra cancellos doctrinae eos egressos arguamus; at graviter reprehendimus eos, qui ipsius Pythagorae ejusque disciplinae proprium ac summum consilium fuisse putaverint, tacite et occulte delere populi jura, atque ita evertere civitatis formam, nec reputaverint, philosophos optimates suis commodis prospicientes ancipite tantum tunc temporis statu monitos fuisse et impulsos. Sed cognito agrorum sibi vindicandorum studio, simulque ut videtur abolendae concionis consilio, incitante praeterea factione philosophis infesta (causae enim insidiarum plures dicuntur sec. Jambl. §. 248.), multitudinis ira adeo inflammata est, ut antiqua erga Pythagoreos benevolentia in odium sese converteret, idque erumperet. Apollon. ap. Jambl. §. 255. De fide hujus historiae nemo hodie dubitat, cf. Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 166. not. 443. Odofr. Mueller. Dor. II. p. 180. Welcker. Prolegom. ad Theogn. p. 48. Pythagoreorum consanguinei aegre ferentes singularem eorum vivendi rationem, inprimis vero arctam tectamque consociationem, qua solis amicis dextram dare, nemini autem, exceptis parentibus, cognatorum, perinde ac si peregrini essent, jussi erant, seditionis initium fecerunt. Apollon. ap. Jambl. §. 255. 256. 257. Nunc extiterunt tres illi populi fautores, Hippasus, Diodorus et Theages, optimatum vim et potestatem infracturi, plebis contra amplificaturi, qui superiores tandem quum evasissent, in caput Pythagoreorum crimina conflata sunt. Apollon. ap. Jambl. §. 257. Cylon, cujus hucusque mentionem nos consulto intermisimus, vir genere, majorum gloria et opibus Crotoniatarum facile princeps, ceteroquin durus, violentus, turbulentus et fastu tyrannico, quum se ceteris praeclaris rebus omnibus dignum, tum autem longe dignissimum judicasset, qui Pythagoricorum consortio adscriberetur, ob dictas autem causas a Pythagora in probatione repulsam tulisset, odio capitali adversus hunc ejusque amicos concepto, magnam ἑταιρίαν congregavit, qua ubicunque potuit, ipsorum studiis et consiliis adversari conabatur. Aristox. ap. Jambl. §. 248. 249. ap. Porphyr. §. 54. ap. Diod. Sic. Exc. Vales. p. 555. Apollon. ap. Jambl. §. 258. Phavorin. ap. Diog. Laërt. VIII, 49. adde Diog. L. II, 46. [quo pro Κύδων καὶ Ὀνάτας legendum est cum Menagio ad h. l. Κύλων Κροτωνιάτης, sed falso emendat idem ad VIII, 49.]. Quamquam autem invidia et ira ob acceptam repulsam congregatae factionis

prima causa narratur, credam equidem, praeterea eadem quae Sybaritarum tyrannum, consilia tyrannica fovisse Cylonem, quae quidem sententia tam Aristoxeni verbis naturam moresque hominis delineantibus, quam ipso optimatem reipublicae statum evertendi studio confirmatur. Adde Apollon. ap. Jambl. §. 262. At enimvero quo celerius perdatur synedrium, procedunt convocata (sine dubio a δημοτικοῖς) concione, Cylon et Ninon, qui accusatorum partibus susceptis ac partitis inter se loquendi vicibus accusationem contra Pythagoreos instruunt. Cylonis prolixos sermones excipit Ninon, homo popularis et Cyloniana ut videtur redemtus largitione. Tradit sollemni more scribae publico libellum nomine Λόγος ἱερὸς insignitum ut legat, in quo fere scriptum erat: Amicos deorum instar colendos, reliquos ut bruta tractandos esse:

Τοὺς μὲν ἑταίρους ἦγεν ἴσον μακάρεσσι θεοῖσι·
τοὺς δ' ἄλλους ἡγεῖτ' οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. 1)

eosdemque agendos ab iis, qui gregis pastores facti sint; cum fabis pugnandum tanquam sortitionis ducibus; tyrannidem appetendam, praestare enim illos dicere, unum diem esse taurum, quam per totam vitam bovem; laudanda quidem aliorum instituta, suis vero placitis insistendum. Adjicit praeterea accusator, Pythagoricorum philosophiam conspirationem esse contra plebem, quam secum reputare jubet, se nunquam in concionem conventuram fuisse, si illi eam abolendi consilium approbassent senatui. Denique turpe Crotoniatas existimare subjicit, se trecentorum millium ad Traentem fluvium victores a millesima illorum parte in ipsa urbe opprimi videri. Apollon. ap. Jambl. §. 259. 260. Quicunque exacerbatissimum Cyloneae factionis animum satis perspexerit simulque illum accusandi perorandique modum rationemque diligenter excusserit atque examinaverit, largiatur necesse est, omnia Pythagoreis objecta crimina, excepto illo consilio non probato, quod quidem coram concione difficilius fuisset excogi-

1) Quos versus sub nomine Pythagorae composuisse ejus discipulos, addit Apollonius. Fortasse descripti sunt ex noto Pythagorae subjecto Sacro Sermone, qui undecunque corrogatas philosophi sententias versibus inclusas continuisse videtur. Prooemium exhibet Heraclidis epitome

Ὦ νέοι ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίας τάδε πάντα.

ap. Diog. Laërt. VIII, 7.

tare, vel injustissime fusa vel turpissime ficta esse. Apollonius ipse (ap. Jambl. §. 258.) satis perspicue prodit, Ninonem simulasse, se arcana Pythagoricorum explorasse; miramurne igitur, si hic illic arrepta praeceptoris dicta sensu varia, quae criminandis discipulis maxime idonea videbantur, in unum collecta haud inepto titulo sermonis sacri notaverit, et in usum suum falsissime explicaverit nequissimus homo [1]). Nihil magis ridiculum et Ninonis putidam mendaciis populum onerandi artem coarguit, quam nitidum istud praeceptum τυραννίδος ὀρέγεσθαι, cujus causam cum in tecta consociatione tum in consilio illo secreto latere crediderim. Sed necesse erat aliquid quod omni virium contentione exstirpare nitebantur philosophi, fingere, quo celerius exstirparentur et ipsi. Nec quod in votis erat, ad irritum redactum est. Adeo efferatum reddiderunt accusatores deceptum populum calumniis suis, ut intra breve tempus per totam Italiam atrocissimum bellum in Pythagoreos susciperetur. Apollon. ap. Jambl. §. 261.

Ex his omnibus intelligitur, Crotoniensis collegii exstirpationem fraudibus tantum et artibus turbulentissimorum factionis adversariae ducum, qui populi causam se agere simulabant, adductam esse. Sed si aliorum scriptorum narrata excutiamus, omnis culpa causaque non tantopere in istos seditiosos homines, quam in ipsum Pythagoram vel Pythagoreos est conferenda. Attestantur Theopompus et Hermippus, quam bonus Pythagoras introduxerit instillaveritque discipulis philosophiam, ad insidias civibus struendas pertinuisse (ap. Athen. V. c. 52.); itaque dicere poterat Justinus, trecenos quum separatam a ceteris civibus vitam exercerent, quasi coetum clandestinae conjurationis haberent, civitatem in se convertisse (Justin. XX, 4.); similiterque Arnobius, Pythagoram suspicione affectatae tyrannidis vivum concrematum esse, Arnob. adv. Gent. I. c. 40. cf. Apollon. ap. Jambl. §. 254. Diog. Laërt. VIII, 39. Tertull. Apologet. c. 46. Attamen ad animum revoca, quod in Ninoniana accusatione ut probrum objectum erat philosophis, philosophiam eorum esse conspirationem contra plebem, et confiteberis, istam illam suspicionem, quam jam Arnobius injustam vocat, affectatae tyrannidis, proxime a Cylonea factione ejusque criminandi studio concitatam esse. Adde Apollon. ap. Jambl. §. 261. Quid quod semel mota suspicio tam

1) Inde adagium *Οὐ τάδε ἐστὶν ἐπὶ Νίνωνος*. Vid. Apollon. ap. Jambl. §. 264.

late serpsit, ut seriores scriptores ignorantes repentinarum seditionum causam, illam ut clandestini consortii indoli apprime convenientem arripuerint et disseminaverint?

Verum in disquisitionem nunc vocemus, quae de ultimis Pythagorae fatis literis consignata sunt. Si gravissimis testimoniis credendum, non aderat ille Crotone, quum accusationes in synedrium adornarentur. Ac primum quidem narrat Aristoxenus, Cylonem post acceptam repulsam cum suis amicis acre bellum contra philosophum ejusque discipulos suscepisse, eandemque ob causam Metapontum illum discessisse, Aristox. ap. Jambl. §. 249., quocum consentiunt omnes, qui Samium propter Cylonem invideri illi ac lacessere non desistentem urbem reliquisse produnt, Themist. Orat. IV. p. 102. ed. Pet. Porro tradit Apollonius, quem jam supra in hoc secuti sumus, post dirutam Sybarim et priusquam Pythagorei non ex voluntate populi agrum Sybariticum distribui voluissent, praeceptorem abiisse. Apollon. ap. Jambl. §. 255. Ergo ex his satis certo colligas, tam semel conceptum odium factionis adversariae periculosissimos impetus societati intendentes, quam quae recusata agri distributione impenderet ruinam, fuisse discessus causas. At his obloqui videntur Dicaearchus et accuratiores scriptores, ad quos provocat Porphyrius §. 56., qui praesente Pythagora insidias structas dicunt, quamquam contrarium inter omnes constare putat Jamblichus §. 248. Dolendum est, Porphyrium in hac ipsa narratione, quam vides obstare Aristoxeni, Apollonii, quos accuratioribus auctoribus adnumerandos nos censemus, verbis, adeo breviter excerpsisse scripta, quae livida nobis invidit fortuna. Nisi istas insidias intelligit Dicaearchus cum aliis Cyloneorum occulta Pythagoreis omnimodo nocendi studia, antequam Milonis domum incenderent, vere eum dissentire statuendum est, cujus quidem dissensus rationem addere non licet. Sed prolixiore oratione prosequitur Porphyrius philosophum discedentem. Relicta Crotone primum in Caulonio portu servatum inde Locros concessisse ait; Locrorum autem ferme omnes quum Pythagorae virtutem ferre non potuissent (vid. supra), relegasse eum Tarentum; illic vero quum idem ei rursus accidisset, quod Crotone, Metapontum profectum esse; quo in factione, postquam in Musarum templo quadragesimum in diem inediam protraxisset, morti eum occubuisse addit. Cf. eundem Dicaearch. ap. Diog. Laërt. VIII, 40. quem secuti videntur Justin. XX, 4. Themist. l. supra l. Tzetz. Chil. XI, 92. add. Aristox. ap. Jambl. §. 249. (Mahnium p. 52.)

Clem. Al. Strom. I. p. 301. Plenis venerationis oculis, asseverat Valer. Max. (VIII, 7. ext. 2.), adspexit Metapontum ardentem philosophi rogum: oppidum Pythagorae quam suorum cinerum nobilius clariusque monumento; nec ante se ad hospitem divertisse dicit Cicero (de Finib. V, 2.), quam ipsum illum locum, ubi vitam ediderat, sedemque vidisse. De anno, quo mortuus sit, mirum quantum inter se dissident chronologorum sententiae. Aristoxenus ἤδη πρεσβύτην vocat philosophum tempore, quo Cylon cooptationem petiverat, ap. Jambl. §. 248. Abiit Crotone post captam Sybarim, h. e. post Ol. LXVII, 3., ut ex Diodoro compertum habemus. Si momentum, quod discessum inter et mortem intercedit, vel haud longum statuamus, probabiliter tamen ad Ol. LXIX. mortis tempus reduci posse, quisque fatebitur; et si summa, ut putamus, probabilitate demonstratum est, Samii ortum ad Ol. XLIX. apponendum esse, tum conficitur octogesimus ille aetatis annus, quo vita cum defunctum tradunt Sotion Satyrusve, quorum alterum excerpsit Heraclides, Serapionis filius, ap. Diog. Laërt. VIII, 44. [1]).

Incredibile est, quantopere saevitum sit in Pythagoricorum factionem. Proruperunt Cyloneorum insidiae eo usque, ut philosophos Crotone in Milonis domo deliberandi causa, ut diximus, de rebus publicis congregatos igne immisso concremaverint lapidibusque obruerint. Aristox. ap. Jambl. §. 249. ap. Porphyr. §. 55. (sed Nicomachum habent auctorem, quae de Pythagorae in insula Delo commoratione ibi narrantur, vid. supra). Praeterea Apollonius Cyloneos tradit Pythagoreorum festum Musarum in domo prope Apollinis aedem celebrantium coetum facto tumultu aggredi voluisse, hos autem, re prius cognita, in deversorium confugisse; Democedem vero cum alumnis Plateas se contulisse. Hunc tumultum respicit, ut mihi videtur, Justinus (XX, 4.); sexaginta ferme in eo periisse dicit. Cylonei, pergit Tyanensis, legibus abrogatis decreta fecerunt, quibus Democedem accusarunt (vel potius calumniati sunt), quod ephebos ad dominationem occupandam consociaverit, triaque talenta ejus interfectori praemium proposuerunt; et quum commisso proelio eum

1) Diogenes addit κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπογραφὴν τῶν ἡλικιῶν; non cogitat Heraclidae Sotionisve descriptionem aetatum, ut conjicit Dodwellus (de Cyclis Vet. p. 144. 145.), sed Pythagorae, qui legitimam hominis vitam octoginta annis terminabat. Cf. Diog. L. VIII, 10. Dodwellum insigniter jam redarguit Bentlejus de aet. Pyth. p. 40.

duce Theage vicissent (e Kiessling. emendat.), promissum praemium cum hoc partiti sunt. Quamquam multa in describendis his calamitatibus a scriptoribus recentioris inprimis aetatis, in majus aucta esse, cum Heynio (Opusc. II. p. 188.), Boeckhio (in Philol. p. 9.), Welckero (Prolegom. ad Theogn. p. 49. not. 70.), aliis, crediderim, nolim tamen Aristoxenum et Apollonium eorum referre in numerum, idque ea de causa, quod Pythagorei non subito et uno quasi ictu Crotone aut interfecti aut expulsi, sed haud dubie identidem exitiosi in eos facti videntur tumultus. Verum ne intra Crotonem quidem sese continuerunt motus, sed unus velut morbus tam incredibili celeritate Tarentum, Metapontum, ceterasque Italiae civitates invaserunt, ut, collegiis undique conflagratis, caede et seditione omnia complerentur. Cf. Dicaearch. ap. Porphyr. §. 56. Apollon. ap. Jambl. §. 262. inprimis Polyb. II, 39. In tanta rerum omnium turba et confusione consilium ceperunt Crotoniatae, qui fuga vitam servaverant, in judicium vocandi. Quocirca delectis tribus civitatibus, Tarentinis, Metapontinis et Cauloniatis, permissum est arbitrium. Apollon. ap. Jambl. §. 262. Missi sunt ad causam explorandam, qui quidem pecunia corrupti (ὡς ἐν τοῖς τῶν Κροτωνιατῶν ὑπομνήμασιν ἀναγέγραπται) videlicet Cylonia, decreverunt, reos in exilium ejiciendos esse. Apollon. l. l. Justin. l. l. Ager nunc divisus est et novae tabulae factae. Tandem decursu multorum annorum, caesis seditiosorum ducibus, ad se redierunt Crotoniatae, intelligentes, quid profuerint olim civitati philosophi (vid. Dio Chrys. l. supra l.), sed quam injuste et ultra modum in eos saevitum sit, ut reliquos in patriam revocare vellent. Itaque arcessiti sunt ex Achaia legati, quorum ope cum exulibus in gratiam redierunt, et juramenta Delphis consecrarunt. Fuerunt reduces circa sexaginta, exceptis iis, qui aetate provectiores erant. Magna pars eorum tractanda arte medica, qua olim inclaruit urbs, veterem gloriam renovavit, multaque saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. Apollon. ap. Jambl. §. 262. 263. 264. Cicero Tusc. Q. I, 16. de Republ. I, 10.

Quod ad statum reipublicae Crotoniensis attinet, incenso synedrio et interfectis inopinato casu ceteris tam Crotonis quam reliquarum civitatum principibus, anarchia extitit; donec cives, Achaeorum fide et consilio in componendis calamitatibus sustentati, communi consensu decreverunt, ad eorum exemplum (nunc demum) civitatem et constituere et administrare, moribus simul legibusque adscitis sus-

ceptisque (ut Sicyone postea factum). Polyb. l. l. Strabo VIII. p. 384. Quod postea mutaverint, non ipsorum consilio et voluntate factum, sed cum Dionysii Majoris dominatu, tum circumjacentium barbarorum nimia potentia coacti sunt. Polyb. l. l. Infelicem belli Punici secundi tempore statum urbis quondam opulentae adumbrat Livius XXIII, 30. XXIV, 2 et 3. Sed ulterius hoc persequi vetat disquisitionis ratio. Cf. Heynii Opusc. II. p. 189 seqq.

Studuimus in enarrandis his calamitatibus omnia ab Aristoxeno, Dicaearcho et Apollonio relata, rejectis Hermippi (ap. Diog. Laërt. VIII, 40.) et Nicomachi (ap. Jambl. §. 251 — 54 et Porphyr. §. 57.) fabulis, ita conjungere, ut quae alius omisit, alter addidit, in amicum consensum redigeremus. Prorsus vero repudiandam duximus Plutarchi narrationem (de Genio Socr. p. 583. c. 13.), quippe quae tam a temporum ratione, quam a probabilitate nimis abhorret. Pythagoricos enim Metaponti consessum agentes in domo quadam a Cyloneis concrematos opinatur; quod Crotone in Milonis domo factum, Aristoxeni testimonio supra probavimus. Subjicit idem, Philolaum tantum et Lysidem, qui huic consessui interfuerint, ex incendio elapsos esse. At satis exploratum habemus, Philolaum Thebanum Pythagorae vivo operam dare non potuisse. Nam Cebetem et Simmiam Pythagoreos prius Thebis Philolaum audientes facit Plato, quam Socratis familiaritate et consuetudine usi sunt (in Phaedon. p. 61. D.), ex quo summo jure collegit Boeckhius, vixisse Thebanum circiter ab Ol. LXX. (aut si mavis ab Ol. LXXV.) usque ad Ol. XCV. Cf. Boeckh. in Philol. p. 5. (Wyttenb. ad Phaedon. p. 130.). Consentit Apollodorus Cyzicenus, qui Philolaum cum Democrito conversatum esse dicit ap. Diog. Laërt. IX, 38. Nec Lysidem Pythagorae aetate vixisse credendum est, quamquam Aristoxenus (ap. Jambl. §. 249. 250.) eum ex incensa Milonis domo salvum evasisse prodit. Pythagoreus enim, quum Thebis scholam habebat (Hieronym. in Rufin. III. c. 10.), Epaminondae magister constanter perhibetur (vide quos supra laudavimus locos), quem tamen Ol. XCII. demum lucem vidisse constat. Vide Bentl. de aet. Pyth. p. 44. Itaque certe ad Ol. XCVIII. usque superstes putandus est; sed Ol. C, 3. eum jam vita decessisse, ex eodem Plutarchi loco liquet. Cf. Bentl. l. l. et Boeckh. in Philol. p. 11. Verum enim vero semper tenendum est, seditiones per longam annorum seriem in Italia durasse, quarum vel Dicaearchi tempore locorum incolae meminerint (ap. Porphyr. §. 56.), insidias igitur philosophi etiam

successoribus structas esse (Aristox. ap. Jambl. §. 249.), scriptores autem sive incuria sive inscitia quidquid posteris acciderit, id in ipsam Pythagorae aetatem transtulisse.

Historiam sodalitii Pythagorici postquam ad hoc usque tempus deduximus, finem, qui ipsi subesset, exponere et sic expediendae quaestioni satisfacere studuimus. Quae praeterea de posteris Pythagoreis narrantur, vel eam ob causam huc non pertinere putamus, quod illi nullo unquam tempore in justum disciplinae corpus coalescere, nec ad civitates regendas gubernandasque pertinentia consilia exsequi potuerint. Vixerunt quidem postea nonnulli, qui non solum magnam vim in rempublicam exercebant, sed vel ipsi praeerant, veluti Archytas Tarentinus, pristinum tamen gloriae fastigium *nunquam* assecuti sunt.

Itaque, ut summam nostrae quaestionis in unum colligamus, paucis societatis Pythagoricae scopum proponamus:

"Societatis scopus fuit mere politicus, ut lapsam optimatium potestatem non modo in pristinum restitueret, sed firmaret amplificaretque; cum summo hoc scopo duo conjuncti fuerunt, moralis alter, alter ad literas spectans. Discipulos suos bonos probosque homines reddere voluit Pythagoras, et ut civitatem moderantes potestate sua non abuterentur ad plebem opprimendam, et ut plebs, intelligens suis commodis consuli, conditione sua contenta esset. Quoniam vero bonum sapiensque moderamen nisi a prudente literisque exculto viro exspectari licet, philosophiae studium necessarium duxit Samius iis, qui ad civitatis clavum tenendum se accingerent."

EMENDANDA.

Pag. 1. not. v. 4. *Gillonem* **excusum est pro** *Gillum*, **nescio quo errore. De Gillo vide Beatl. de aetat. Pythag. p. 39.**

Pag. 4. v. 13. pro *quisque*, **leg.** *quemque*, **quod structurae tenor postulat.**

Pag. 11. v. 27. pro *Quocirca*, **scrib.** *Itaque.*

Pag. 30. v. 5. pro *diuturnae*, **leg.** *diurnae.*

Pag. 39. v. 34. pro *lyram*, **leg.** *lyra.*

Pag. 57. v. 27. pro *vis*, **leg.** *vim.*

Quosdam minoris momenti errores typographicos benevolus lector ipse corriget.